Filol: Łac:
(L. 94.
XIX

# Zur öffentlichen Prüfung

im

# Kneiphöfischen Stadt-Gymnasium

den 6. und 7. April 1857

l a d e t

die hohen Vorgesetzten der Anstalt und die geehrten Eltern der Schüler

e r g e b e n s t e i n

der Direktor

**Dr. Rudolph Ferd. Leop. Skrzeczka.**

UNIW. KRAKOW. BIBLIOTEKA JAGIELLOŃSKA

I n h a l t:

**I.** De clausula rhetorica latina. P. I. Vom Prof. Dr. G. Wichert.
**II.** Schulnachrichten. Vom Direktor.

Königsberg, 1857.
Druck der Universitäts-Buch- und Steindruckerei von E. J. Dalkowski.

# Uebersicht der Prüfung.

---

### Montag, den 6. April, Vormittags 9 Uhr.

**Sexta.**

Geographie. Witt.
Latein. Cholevius.

**Sexta und Quinta.**

Gesang.

**Quinta.**

Französisch. Weyl.
Latein. v. Drygalski.

**Quarta.**

Latein. Weyl.
Religion. Knobbe.

### Montag, Nachmittgs $2^1/_2$ Uhr.

**Tertia b.**

Latein. Schwidop.
Mathematik. Knobbe.

**Tertia a.**

Latein. Lentz.
Griechisch. Wichert.

### Dienstag, den 7. April, Vormittags 9 Uhr.

**Secunda.**

Mathematik. Koenig.
Latein. Lentz.
Geschichte. Witt.

**Prima.**

Griechisch. Der Direktor.
Deutsch. Cholevius.
Latein. Wichert.

---

Entlassung der Abiturienten durch den Direktor. Reden eines Abiturienten und eines Primaners

---

Das neue Schuljahr beginnt am 21. April c. 7 U. M. — Zur Aufnahme neuer Schüler wird der Unterzeichnete vom 16. bis 20. April in den Vormittagsstunden bereit sein.

# De clausula rhetorica latina.

## P. I.

Clausularum, ut ego quidem perspicio, tria sunt genera, quorum unum facile grammaticum, alterum euphonicum dici liceat, tertium denique, de quo accuratius exponere aggressi sumus, rhetoricum. Nec tamen tripartitam hanc divisionem ita intelligi volumus, quasi rhetoricum quod dicamus, non idem possit esse aut grammaticum aut euphonicum aut utrumque. Sunt nimirum loci permulti, ubi una ex tribus illis ratio agnoscatur sola: non desunt tamen ne ii quidem, ubi aut omnes aut binas certe inveneris consociatas. Ac de grammatico quidem genere quae separatim dicenda sint, non habemus. Constat id cerni in comprehendenda concludendaque enuntiatione ita ut quasi rotunda fiat nec quidquam ad percipiendam mente sententiam deficiat. Cui muneri, quae est natura linguae latinae, cum aptissimum haberi debeat praedicatum, quod dicitur, infaceta tamen scriptorum consuetudine non raro fit ut ejusmodi clausula exsistat ineptissima. Quintil. II. 15, 4. *Haec opinio originem ab Isocrate, si tamen revera Ars, quae circumfertur, eius est, duxit.* — Alia est ratio alterius generis, quod diximus euphonicum, de quo quidem paucis absolvere difficile esse videatur. Nec de eo accuratius exponere nobis in animo est. Hoc dicimus: esse clausulas quasdam, quibus aut sola aut praecipue aurium voluptas captetur, nullo modo negari posse, non censere nos tamen, nec Ciceronem Orat. 64, 215 cretico, paeone aliisque pedibus enumerandis omnem earum copiam exhausisse nec, quidquid viro illi divino tribuendum sit, hac in re lubrica vestigiis eius ingredi aptum esse aut ea persequenda ei, si quis diligentius hoc genus examinare voluerit. Ceterum ita ille hac clausula delectatur, ut interdum ne concinne quidem scribere curet, dummodo numerosa exsistat oratio. Divin. in Caecil. 4, 11. *Adsunt, queruntur Siculi — : ad meam fidem — confugiunt: auxilium sibi per me a vobis — petunt: me defensorem calamitatum suarum, me ultorem iniuriarum, me actorem causae totius esse voluerunt*, ubi volunt exspectatur.

Ut ad tertium clausulae genus idque nobis gravissimum transeamus, non id eo spectatur, ut sententiae apte comprehendantur (esse enim etiam tale potest vel potius solet, ut istas primo adspectu facile dicere liceat dissolutas) nec, si quaeris, auribus blandiri cupit, quamquam quominus idem cadat numerose, nihil profecto prohibere apparet: imo ea est eius vis et natura, ut quid valeat potissimum aut verbum aut verba ultimum sententiae locum tenentia, graviter nos admoneri velit. Quod cum fieri etiam cum in mediis partibus enunciati tum in primis possit, ut maius in aliqua voce momentum inesse videatur, quoniam tamen flumen orationis in extremis

his aut paululum aut plane subsistit, ad efferendam verborum gravitatem et quasi in luce ponendam sunt aptissimae. Accuratius quidem si intuemur, ad augendum hoc partium ultimarum pondus plurimum et ipsarum ratio grammatica valere potest et earum, quae proxime antecedunt, natura et alia quaedam extrinsecus concurrentia. Nam ut paucula modo et quasi praetereuntes moneamus, nonne adiectivi vis sententiam finientis intenditur, si id a substantivo suo sive verbo, quod proprie dicitur, sive alia aliqua parte enuntiati disiunctum est? Non eo gravior videbitur esse pars extrema, quo quae ei proxima est, exilior fuerit? Quare, si pronominis, quod est is, aut verbi auxiliaris forma aliqua, praesertim monosyllaba, ad sententiae partes reliquas inserta inveniatur separandas ab ultima, ultimae istius vim maiorem exsistere, quis non sentit? Nec minus apparet, augeri clausulae gravitatem, si in ambitu verborum pars extrema a reliquis interpunctione, quam dicunt, secernatur. Efficitur enim eo quasi quaedam caesura, qua improviso paululum suspensi teneantur legentium animi quaeque exspectanda sint ultima, magis ad ea intendantur. Et quemadmodum a suae sententiae partium reliquarum commercio nonnunquam refugit quodammodo extrema ex iisque omnibus, quasi solitudine ista videatur esse illustrior, sese exemtam vult, sic saepe sententiae alienae eiusque proximae quaerit communionem. Quod si est, non pati videtur clausula, in se acquiescere legentes eosque abripit ad ea, quae sequuntur. Atque hoc est illud, quod dixi extrinsecus etiam accedere interdum aliqua, quibus vires illius corroborarentur. Nam ut Caesaris quidem verba intueamur: *Gallia est omnis divisa in partes tris, quarum unam incolunt Belgae, aliam Aquitani, tertiam qui — Galli appellantur*, quis est qui non videat, numerale non eo modo grave videri, quod sententiae primariae ultimum locum teneat sed eo etiam quod se inclinet, ut ita dicam, ad secundariam eamque nos attente animum advertere iubeat? Non ex eodem quidem, simili certe tamen genere est, quod apud poetas non semel aut bis sed fere ubique, quod verbum propter notionis momentum separatim nos attendere voluerunt, non eo sententia modo sed etiam versus terminatur. In quo quid suffragari dixeris clausulae iam per se gravi, nisi rem quandam allatam extrinsecus? Aliud enim esse sententiam claudere, aliud versum, ex iisque unius rei causam a sententiae potissimum ipsius natura esse repetendam, alterius a totius poematis ratione et contextu, luce clarius est. Ceterum quam clausulam rhetoricam dicimus, non singulis ubique verbis constare censemus, imo vero binis etiam ac pluribus effici potest. Inepte enim faciunt, si qui digitis haec computanda esse arbitrentur. Ne tamen confundere et permiscere omnia videamur, duo clausulae illius genera esse ponimus: quorum alterum tale sit ut simplex dici liceat, si quidem singulis sententiae partibus efficiatur; alteram quidem clausulam, quam qualem haberi velim facile apparet, dici oportebit ampliorem.

**Quod igitur Tullius iudicat de clausula numerosa: Orat. 64, 216.** ***Sed hos cum in clausulis pedes nomino, non loquor de uno pede extremo. Adiungo, quod minimum sit, proximum superiorem, saepe etiam tertium*****, idem aut certe simile quid cadere censemus in eam, quam dicimus rhetoricam.**

## I. De clausula simplici.

Quidquid studemus voces voculasque eas, quae cum vi quadam maiore sedem sententiarum ultimam ita quasi suam occupatam tenere soleant, ut ad eas in scribendo omnium fere prosaicorum poetarumque manus sponte prope dixerim decurrisse videatur — nam de his potissimum exponendum erit — quidquid, inquam, comprehendere eas et in uno velut conspectu collocare studemus, adeo id tamen non succedit, ut minimum quatuor esse capita videamus agnoscenda, ad quae eas revocari oporteat. Haec quemadmodum inter se sunt simillima, ut nullum sit, cui quae a nobis adnumerantur exempla, non eadem certo quodam modo ad aliud aliquod caput referri possint, ita si non sua ac peculiaris, at praecipua est cuiusqne ratio, quam in reliquis aut nullam aut multo inferiorem certe invenias.

## Caput I.

Ac primum quidem constat esse voces quasdam per se eiusmodi, ut in sententiis constituendis si adhibeantur, nihil fere absit quin earum vis tota in illis posita esse videri debeat. Interrogationum quidem vim potissimum in pronomine aut particula interrogativa cerni, caecus videt. Quodsi voces illae, sententiarum, quas dixi, indices naturae, in fine positae inveniuntur, non nimis certe mirum videbitur. Nam ferre quidem consuetudinem, in prima, non ultima ut sententia collocentur concedimus. Deinde earum enuntiationum, quibus aut duorum aut plurium exhibeatur comparatio, apparet eam esse rationem, ut vis praecipua in comparativo aut superlativo inesse censenda sit. Qui ideo ultimam illarum sedem quod solent occupare, iure et merito facere videntur.

1. Sententiarum interrogativarum, quae huc referri possint, ratio si diligentius examinatur, pendentes modo, quas dicunt, ad hunc locum pertinere censemus. Nam quae sui quasi iuris sunt, si in iis aut pronomen aut particulam interrogativam in fine positam videamus, alia etiam causa quadam eaque graviore id effici elucet, ut satius sit totam de illis disputationem ad caput aliud reiicere (cf. Cap. III. 4.) Pendentium autem dispositio ea, quam dicimus, apud prosaicos quidem non facile invenitur nisi ita ut sint ellipticae Quae cum primo adspectu nec aliter disponi potuisse videantur et apud nos omnesque populos eodem modo constitui soleant nec eo quidquam habeant memorabile, non tamen futurum fuisse putamus ut ellipticae exsisterent, nisi eo ipso momentum, quod esset in pronomine aut particula, augeri appareret.

Cic. Philipp I. 6, 13 *ut decernerentur supplicationes mortuo? Nihil dico, cui.* Fin. II. 1, 3. *Non enim solum Torquatus dixit, quid sentiret, sed etiam, cur.* Orat. II. 59, 239. *Est etiam deformitatis et corporis vitiorum satis bella materies ad iocandum: sed quaerimus idem, quod in ceteris rebus maxime quaerendum est, quatenus.* Orat. 22, 73. – Boeth. ad Cic. Topic. (Orell. p. 372.) *Quod vero omnium rerum causas esse dicit, non determinat, quales.*

Si non sunt ellipticae eiusmodi sententiae, rarius ita nec nisi apud poetas dispositae inveniuntur. Hor. Sat. I. 2, 111. *Nonne, cupidinibus statuat natura modum quem, quaerere plus prodest et inane abscindere soldo?* Quamquam postponere nomini suo pronomen interrogativum ne prosaicis quidem displicuit, praesertim in transitione. cf. Cic. p. leg. Manil. 2, 6. *Causa quae sit, videtis; nunc quid agendum sit, considerate.* p. Cluent. 6, 17. al.

2. Comparativi huc pertinentes etsi non modo adverbiorum sunt sed saepe etiam, id quod per se intelligitur, adiectivorum, plerique tamen in **ius** exire solent. In quo animadvertere licet, eos, qui ex tribus aut pluribus constent syllabis, frequentissimos hoc loco inveniri. Qui iidem cum fere omnes in dactylum desinant, numeri etiam rationem in hac clausula multum valuisse facile apparet. Ex bisyllabis quidem comparativis saepissime hunc locum **magis** tenet. Superlativi denique cum alii multi, praesertim longiores, tum **maximus** et **maxime** hoc munus suscipiunt.

Rarissima nimirum exempla sunt, quale hoc: Plin. Paneg. 59, 4. *Multum in commutandis moribus hominum medius annus valet, in principum plus.*

Cic. p. Milon 34, 92. *Haud scio an multo etiam sit adiuvandus magis.* p. Flacco 22, 52. Orat. 63, 213, Philipp. VII. 5, 16. Fam. III. 12, 1. Quintil. Prooem. 2. — IV. 2. 106. V. 10, 106. Vellej. I. 16, 5. Flor. I. 16. 11. al. Nota est etiam formula illa: *nihil vidi magis* Halm. ad Cic. p. Sestio 51, 110. Incisiones saepe hoc comparativo finiri solent Cic. p. Milon. 13, 34. Catil II. 3, 5. Quintil. V. 11, 32. Spald. h. l. Vellej. II. 13, 3. Et sententia et versus eo concluditur Plaut Mil. IV. 8, 57. Pseud. III. 2, 84. Menaechm. Prolog. 9. (11) Tibull IV. 7, 2—12, 4. Propert. I. 1, 22. Postremo peculiare quoddam genus habendum est eorum locorum, quibus sententia hoc modo clauditur elliptica. Cic. Off. I 33, 120: *utriusque omnino habenda ratio est in deligendo genere vitae, sed naturae magis.* p. Red. ad Quir. 1, 4. De formula *multo magis* sententiam finiente alibi disputandum erit, quippe qua non simplex sed amplior quaedam clausula efficiatur.

Cic. N. D. I. 21, 57. *nihil dicam mihi videri minus* Plaut. M Glor. IV. 7, 25. quo loco minus ut sententiae ita versus ultimam sedem occupavit. — Cic. Rep. I. 21, 38 *nunquam enim, quale sit illud, de quo disputabitur, intelligi poterit, nisi, quid sit, fuerit intellectum prius.* Verr. IV. 34, 74.

Quintil. IV. I, 24. — Cic. Tusc. II. 18, 42. *quo facilius oratio progredi possit longius.* Verr. IV. 23, 51. Off. I. 39, 141. Brut. 15, 60—71, 251. cf. Cat. M. 19, 70. Caes. bell. gall. 6, 29. civ. 1, 81. Item melius Cic. Tusc. II. 4, 12. V. 23, 67. N. D. I. 21, 60. II. 17, 46 (bis) III. 10, 26. Propert. I. 2, 10. quo loco simul versum hoc modo finitum vides. Deinde saepius Cic. N. D. I. 5, 12. Acad. I. 11, 40: ad Attic. XVI. 16. F. cf. Off. III. 17, 69. aptius N. D. II. 18, 47. ad Attic. VI. 6, 4. latius Off. II. 23, 80. cf. Philipp. I. 2, 5. aequius Orat. I. 7, 28 clarius Divin. I. 3, 6 potius Tusc. I. 11, 23. Rep. I. 33, 50. altius Off. I. 16. 50. Nep. Chabr. 3, 3. amplius Cic. Parad. VI. 1, 42. p. Marcell. 8, 26, Acad. II. 7, 19. Vellej. II. 71, 1. idemque et in sententia et in versu extremo Terent. Andr. I. 1, 4.

Cic. Verr. I. 8, 20. *Sed nos non tenebimus iudicia diutius.* Similiter indignius Tusc. II. 20, 46. deformius ibd. II. 21, 47. languidius ibd. V. 9, 25. praestantius N. D. II. 17, 45. divinius ibd. I. 14, 37. Off. III. 10, 44. d. opt. gen. orat. 6, 17. contemtius Divin. II. 57, 117. salubrius Cat. M. 16, 57. apertius p. Plancio 14, 34. antiquius Off. I. 43, 155. severius Orat. III. 34, 138. commodius Tusc. I. 11, 23. ad Herenn. IV. 7, 10. constantius Tusc. V. 9, 25. Brut. 79, 273. iucundius Tusc. V. 34, 97. quem locum ante oculos habuit Lactantius I. 21, 36. cf. Buenem. facilius Quintil. V. 13. 3. maturius Vellej. II. 123, 2.

Cic. Tusc. IV, 9. 20. *Jactatio est voluptas gestiens et se efferens insolentius.* Similiter diligentius N. D. I. 5, 12. al.

Off. I. 39, 141. *quo nihil est ad officia conservanda accommodatius.* al.

Ab hoc comparativorum forma si disceditur, in nullam saepius incidimus quam quae est neutri generis plurativi. cf. plura Cic. Orat. Part. 26, 93. maiora p. Marcell. 2, 6. Senec. ad Marciam 12, 4. propiora Cic. Tusc. I. 49, 116. longiora Cat. M. 16, 55. al. Quamquam nec alia desunt exempla. cf. prior Quintil. VI. 1. 13. iratior Cic. p. Marcell. 5, 15. complures p. Quintio 21, 67. pluribus Tusc. I. 47, 113. II. 20, 46. d. opt. gen. orat. 3, 7. (Lael. 25, 92.) maiore Off. I. 13, 41. firmiorem Tusc. I. 49, 119. al.

Alterius generis exempla attulisse pauca sufficiat. cf. plurimum Cic. Part. Orat. 17, 58. Off. II. 9, 31. III. 17, 71. Quintil. III. 8, 12. optimum Cic. Tusc. V. 23, 67. acerrima in Vatin. 12, 29. uberrimus Tusc. I. 49, 119. turpissimum ibd. II. 4, 12. pulcherrima Tac. Ann. II, 6 fastidiosissimum Auct. ad. Herenn. IV. 23, 32. maximam Cic. Verr. IV. 24, 54. cf. Tusc. I. 46, 111. p. Milon. 8, 22. Tusc. II. 19, 45. Adverbio, quod est maxime, sententia finitur ibd. I. 15, 35. cf. Kuehner h. l. Topic. 19, 73. Divin. in Caecil. 2, 4. Verr. III. 5, 11. p. Plancio 10, 25. Off. II. 9, 32. cf. ibd. I. 2, 4 — 17, 58. De formula, quae est quam maxime item in extrema enuntiatorum parte adhibita, alio loco.

## Caput II.

Alias voces cum vi maiore ita sententiam terminare veteres voluerunt, ut earum notionibus notiones quae essent contrariae, attenderemus. Cicero quidem p. Flacco 27, 64. cum dicat: *Quamquam quis ignorat, quin tria Graecorum genera sint vere?* profecto nemo tam hebes est ut non videat, vere quae sint genera Graecorum, iis quae sint per speciem eum opponi velle idque nos discrimen ut mente concipiamus, artificiosa hac verborum collocatione graviter monere. Nec hanc negationis tamen oppositionem (cf. Cic. Invent, I. 28, 42.) dialecticorum more intelligi volumus: etsi non desunt exempla, quae illam etiam admittant: imo, cum de altero hoc genere clausulae statuamus universo, ita verborum notiones aut tacite aut aperte inter se oppositas dicimus, vel ut consuetudo hominum soleat vel ut scriptor ipse alia aliqua eiusdem sententiae parte ostenderit. Quodcum quaevis fere vox notioni suae aliquid contrarii aut per se habeat aut scribentium vitaeve communis arbitrio habere possit, primum in iis verbis verborumque generibus, quae in iudicanda clausularum varietate ad reliqua tria capita referenda censeamus, alias quasdam causas, cur in ultima ponantur sede, easque graviores agnosci oportere monemus (nam in superiore quidem genere, quod quis maximus diceretur, quis ei minimum aut non maximum opponi voluisse scriptorem arbitretur?) deinde quae et claudentia aliquo loco sententiam inveniantur et tamen nulli ex reliquis classibus apte adnumerari possint, ne ea quidem omnia hic accuratius consideranda putamus: imo illa sola hoc loco operae pretium est examinare, quae aut ipsa identidem ad concludendas sententias adhibeantur aut certe ab

eiusmodi vocibus propter notionum similitudines divelli non possint. Ita fit ut substantivorum duo modo, quae sunt nemo et nihil (nam gratiis et ingratiis cf. 12. sunt adverbiorum instar), verborum autem, quae dicunt grammatici, nullum huc referamus; quod contra adiectiva, adverbia, pronomina maxime in hoc loco iactare sese facile patiendum erit. Nec numeralia quidem excludi posse videbimus, quamquam non habent, quae iis directe dici queant contraria.

palam et clam aliaque eiusmodi paria facile componi possunt. Tres aut aliud numerale si locum ultimum tenet, difficile erit dicere, quae notionum oppositio intelligenda sit. Respondere tamen licebit: non plures nec pauciores.

1. Cum in percensenda hac clausula minus partes orationis respiciendas esse quam notionum aut similitudinem aut dissimilitudinem arbitremur, primo loco omnes voces eas comprehendimus, quarum vis et natura quaedam negans dicenda sit; quae sunt nemo, nihil, nullus, nunquam, nusquam hisque ultimis quae sint contrariae, ullus, unquam, usquam. Addi etiam, si vis, quisquam poterit, mittamus tamen, cum pronominis eius considerandi alius locus videatur esse opportunior (cf. 13, f.). De illis autem, quae attuli, priusquam diligentius quaeramus, ut generale quid praemittatur, hoc dico, ita plerumque iis concludi solere sententias, ut verbum, quod proprie dicitur, proxime antecedat.

a. De vocis, quae est nemo, Ciceroniano hoc usu Stuerenburgius disputavit ad Off. p. 189. eumque exemplis etiam stabilire studuit, nec multis tamen nec ullo modo dispositis. Eundem usum Terentii esse monet Stallbaumius ad Andr. II. 3, 21. Est autem omnium fere scriptorum communis. Et frequentissimi quidem inveniuntur nominativus et accusativus

Verbo fere ubique proximum locum occupatum vides: Terent. Andr. II. 3, 21. *uxorem his moribus dabit nemo* ibd. IV. 2, 14. *hanc nisi mors mi adimet nemo* Hecyr. I. 2, 114. *admisit nemo* Liv. VII. 34, 13 *opus quidem incipit nemo.* Caes. b. Gall. 1, 18. *quod illo licente contra liceri audeat nemo* ibd. 5, 51. — Nep. Themist. 2. 7 *cum intelligeret nemo* Cic. Off. I. 35, 129. *ut in scenam sine subligaculo prodeat nemo* Verr. V. 25, 64. *Archipiratam ipsum videt nemo* ibd. III. 46, 109. — p. Flacco 19, 44. *Ex hoc tanto numero deductus est nemo* ibd. 22, 53. *cujus auctor inventus est nemo* Philipp XI. 6, 13. *Emptor tamen in ea auctione inventus est nemo* p. Plancio 25, 62.

In Vatin. 11, 26. *qui in summa copia optimorum adolescentium pari continentia reliquit neminem* Tusc. II. 22, 51. *quem adhuc nos quidem vidimus neminem* p. Sestio 9, 20. *Atque eorum alter fefellit neminem* ad Attic. IV. 11, 2. *eduxi neminem* ibd. IV. 15, 6. *habuit neminem* ibd. IX. 9, 3. *habeo neminem* Terent. Eunuch IV. 4. 13. *habui neminem.* Saepissime infinito antecedente. Cic. Orat. I. 28, 129. *cum ita dicat, se adhuc reperire discipulum, quem quidem probaret, potuisse neminem* Fam. II. 17, 3. *dubitare neminem.* Verr. V 7, 17 *habere neminem.*

Rarius ita dativus occurrit. Cic. ad Fam. XI. 16, 2. *quod ante id tempus civi Romano contigit nemini* cf. ibd. VI 10, 6 Verr. II. 24, 60. III. 23, 56. V. 51, 135.

Genitivum ita inveniri alia etiam de causa mirabile. Cic. ad Att. XIV. 1, 1. *in sermonem se post Idus Martias praeterquam Lepidi venisse neminis*; ubi tamen dativus, qui nonnullis codicibus praebetur, etsi minus convenit ad ea, quae antecedunt, praeoptandus videtur.

Multo pauciora exempla sunt, in quibus verbum, quod dicunt, non inveniatur proximum, Cic. Rep. II. 25, 46. Fam. VI. 6, 13. VII. 25, 2. Attic. VI. 10, 6. VIII. 1. 3. p. Ligar. 4, 11—6, 17. Agrar. II. 1, 3. Verr. II 24, 60. III. 18, 45.

Eximenda ex vulgarium numero exemplorum ea videntur, in quibus alius — nemo vel omnino — nemo inveniantur disiuncta. Qua quidem disiunctione eorum, quae coniunctim collocari consuerint, cum legentium animi fieri non possit quin altera voce, praesertim a capite sententiae posita, in exspectationem quandam adducantur alterius, clausulae vim magis augeri constat. Cic ad Att. IX. 9, 3. *Alium enim, cui illam commendem, habeo neminem* Terent. Eunuch. IV. 4, 13 *alium habui neminem.* — Caes. b. Gall. 5, 51. *hostes dat in fugam, sic uti omnino pugnandi causa resisteret nemo.* Cic. Verr. V. 7, 17. *Appollonius affirmare, servum se omnino illo nomine habere neminem.*

Similiter aucta vis clausulae videtur in eiusmodi exemplis: Cic. p. Ligar. 4, 11. *hoc egit civis Romanus ante te nemo.* Agrar. II. 1, 3. *quomodo pauci nobiles in hac civitate consules facti sunt, novus*

*ante me nemo.* Sueton. Caes. 26 — *ante eum nemo.* cf. supra: *adhuc* — *neminem* Tusc. II. 22, 51. Orat. I. 28, 129.

Comparari licet locos eos, ubi legentium oculis primum aliqua exceptio obiiciatur, ut aut nisi aut praeter aut praeterquam sive in mediis sententiae partibus sive in primis occurrat. Nam proxime quidem illa voci neganti antecedere non solent. Cic. p. Ligar. 6, 7. *alii errorem appellant, — scelus praeter te adhuc nemo.* Fam. II. 17, 3. *Parthi transierint necne praeter te video dubitare neminem* VII. 25, 2. *praeter duo nos loquitur isto modo nemo* Attic. IV. 11, 2. *Ego mecum praeter Dionysium eduxi neminem.* cf. XIV. 1, 1. *in sermonem se praeterquam Lepidi venisse neminis.* Terent. Andr. IV. 2. 14. *hanc nisi mors mi adimet nemo.* Cic. Verr. III. 23, 56. Quibus simile est exemplum. Cic. Off. I. 35, 129 *ut in scenam sine subligaculo prodeat nemo* (h. e. nisi cum subl.).

Eadem de causa nonnulli etiam tales loci memorabiles videantur, in quibus genitivum partitivum, quem dicunt, praemissum invenias. Cic. ad. Attic. VIII. 1, 3. *Facio pluris omnium hominum neminem.* Sunt autem et rariora haec exempla nec omnia eiusmodi, ut in iis genitivo illo clausulae vis aucta dici queat. cf. Fam. VI. 10, 6.

Contra manifestum est augeri eam, si interpunctione vox ultima a proximis sententiae partibus disiungatur, ut Cic. Cat. M. 4, 12. *quasi iam divinarem id, quod evenit, illo exstincto fore, unde discerem, neminem.*

Postremo non indigna esse video, quae separatim intueamur exempla haec: Cic. Verr. III. 46, 109. *quod in agro Leontino — glebam Leontinorum possidet nemo* (h. e. ne unam quidem glebam possidet quisquam) ibd 18, 45. *glebam commosset in agro decumano Siciliae nemo* p. Rosc. Am. 10, 28. *de bonorum venditione et de ista societate verbum esse facturum neminem* (h e. ne unum quidem verbum fact. quemquam) Verr. V. 51, 135. *nummum ob sepulturam datum nemini.* Cuius ad ultimi loci similitudinem scribendum censemus: ibd. II. 24, 60. *Debebat Epicrates nummum nemini.* Constituti sunt hi loci secundum linguae latinae consuetudinem quandam late patentem, qua, quod communi vitae videatur esse in suo quodque genere minimum, id, addita quidem postmodum negatione aut simplici aut aliquo modo concreta (nullus, nemo, nego al.), ita commemoretur, ut ne — quidem particulae iisque inserta rei eius, quam minimam dixi, commemoratio aut ne unus (una, unum) quidem iisque adiuncta illa exspectentur*).

b. Nihil rarissime invenitur in sententia exeunte.

Liv. XXXII. 21, 7. *Philippi praeter legatum videmus nihil.* cf. Cic. Tusc. I. 37, 90. *qui enim satis viderit, illud, quod fuerit, factum esse nihil, is plane perspiciat.* — Senec d. Ira III. 3, 4. *Hunc aliquis affectum virtuti adjutorem dat, consilia, sine quibus virtus gerit nihil, obturbantem!*

c. Nullus ad claudendam sententiam saepius adhibetur idque ita plerumque, ut verbum auxiliare antecedat.

Cic. Off. I. 37, 132. *Sed discentium studiis inveniuntur magistri: huic autem qui studeant, sunt nulli.* Pison. 19, 44. *nuntius ad senatum allatus est nullus.* Nep. Phoc. 1, 1. *Itaque huius memoria*

---

*) Exempla haec sunt Cic. Verr. II. I. 40, 103. *cum iste punctum temporis nullum vacuum peccato praeterire passus sit* (h. e. ne unum quidem p. temp.) Orat. I. 19, 86. *quaerebat cur de civitatibus instituendis litera in eorum libris nulla inveniretur.* p Flacco 3, 6. *Vox de quaestura nulla missa est* p. Quintio 5. 19. *tum iste vir optimus — assem se negat daturum.* Frequentiora sunt talia: Liv. 3, 50. *quaerentibus, quid rei esset, flens diu vocem non misit.* Cic. Verr. II. I. 17, 46. *Verbum tamen facere non audebant* p. Caelio 23, 56. *verbo se molestum non futurum fuisse Caelio, nisi* — Off. I. 43, 5. *si solitudo tanta sit ut hominem videre non possit.* Attic. XIII. 16, 1. *pedem e villa adhuc egressi non sumus.* Acad. II. 36, 116. *quibus non concessis, digitum progredi non possunt.* Attic. XIII. 20, 3. *in omni vita sua quemque a recta conscientia transversum unguem non oportet discedere.* IV. 15, 4. *totam rempubl. flocci non facere.* A. ad Herenn IV. 53, 67. *Hic de tanto patrimonio testam, qua sibi petat ignem, non reliquit.* Plaut. Mostell. II. 2, 75. *Guttam haud habeo sanguinis.* Liv. X. 26, 10 *ut nuntius non superesset.* al.

Loco supra allato Verr. II. 24, 60. Zumptius scripsit: *nummum nullum nemini.* Codd. vulgares exhibent: *nullum nummum.* Edd. vett. *ullum nummum nemini.* Haec quidem ultima scriptura quamquam nec mihi probatur, errat tamen vir doctus, quod sic certe: *nemini ullum numm.* scribi oportuisse censet. Cic. N. D. I. 10, 24. Orell. *quod ea forma ullam neget esse pulchriorem Plato* Tibull. IV. 6, 9. *ulli non ille puellae servire aut cuiquam dignior illa viro.* cf. Liv. XXXIV. 6, 1. *Nam et legem ullam omnino abrogari est indignatus* (quae fere idem valent quod: ullam — noluit). Monemus etiam interrogationes patheticas a voce ullus (Cic. Off. III. 26, 97.) aut quisquam (cf. librum nostr. Lat. Stil. p. 69, 79.) incipientes.

*est nulla.* — Inveniuntur tamen etiam alia verba ultimo loco proxima, ut Cic. Verr. IV. 6, 11. *At hominem video auctionem fecisse nullam.*

Rariora sunt exempla huiusmodi: Caes. b Gall. 6, 34. *Erat, ut supra demonstravimus, manus certa nulla.*

d. Nunquam si ultimam sedem occupat, fere semper, ut aperte videamus, quaenam notionum intelligenda sit oppositio, in alia aliqua parte sententiae aut saepe aut plerumque aut quotidie aut aliquod numerale invenitur.

Desideratur aperta oppositio, quam dixi, rarissime: Auct. ad Herenn. IV. 18, 25. *qui in sermonibus amicorum verum dixerit nunquam, eum sibi in concionibus a mendacio temperaturum?* Cic. p. Muren. 29, 61. *Sapientem nihil opinari, nullius rei poenitere, nulla in re falli, sententiam mutare nunquam.* Tibull II. 6, 13. *Iuravi quoties rediturum ad limina nunquam.*

Loci, quales supra descripsimus, hi sunt: Liv. XXII. 39, 18. *veritatem laborare nimis saepe aiunt, extingui nunquam.* Cic. Catil. III. 10, 23. *nam multi saepe honores diis immortalibus iusti habiti sunt, sed profecto iustiores nunquam.* d. Invent. I. 1. 1. *plerumque — nunquam* p. Sestio 64, 133. *quotidie — nunquam* Lael. 3, 11. *qui consulatum petiit nunquam, factus est consul bis.* al.

Accedunt exempla, in quibus similitudo animadvertitur eorum, quae cum de voce, quae est nemo, disputaremus, ultimo loco allata sunt. Cic. Tusc. I. 14. 31. *arbores seret diligens agricola, quarum adspiciet bacam ipse nunquam* (h. e. ne unam quidem bacam unq.) cf. p. Sestio l. c. *de quo ego, cum quotidie rueret, verbum feci, iudices, nunquam* (h. e. ne unum quidem verbum f. unq.).

e. Nusquam particulae usus, quem dicimus, unum modo exemplum afferre possumus. Quod ut negligentiae nostrae tribuendum sit, constat tamen, multa non inveniri.

Cic. Fin. I. 9, 29. *quod tale debet esse, ut ad id omnia referri oporteat, ipsum autem nusquam.*

f. Ullus non raro quidem ultimum sententiae locum tenet, sed haud scio an primum non omnes eius casus ibi reperiantur, deinde ne ii quidem, quorum vulgaris hic usus sit, nisi verbo praemisso, praesertim auxiliari.

Cic. Verr. V. 62, 161. *cuius rei neque index neque vestigium aliquod neque suspicio cuiquam esset ulla.* Divin. I. 1, 1 *Magnifica quaedam res et salutaris, si modo est ulla.* Paradox. VI. 1, 43. *Sin autem nullum quaestum turpem putas, cum isti ordini ne honestus quidem possit esse ullus.* —

ad Fam. III. 8, 10. *Hostem esse in Syria negant ullum.* Verr. II. I. 31, 80. *Tu enim neque in literis — neque in testimonio causam tanti tumultus ostendis ullam* p. Cluent. 65, 185. *de furto — ne in extrema quidem aut media aut in aliqua denique parte quaestionis verbum fecit ullum.* Quod ultimum exemplum simile est illis, quae supra, cum de vocibus, quae sunt nemo et nunquam, quaereremus, locis extremis allata sunt.

g. Unquam si finiendae sententiae inservit, id quod fit saepissime, pauculis modo locis exceptis, verbum praemissum invenitur. Animadvertendum est etiam, libenter hanc clausulam in iis adhiberi interrogationibus, quae rhetoricae appellentur.

Cic. p. Sulla 7, 23. *nemo enim istud M. illi Catoni, nemo Ti. Coruncanio, nemo M. Curio — obiecit unquam* p. Flacco 19, 45. *cui nullus honos in sua civitate habitus est unquam.* Liv. XXIII. 8, 9. *in multo maiore dignitate et gratia simus Campani quam fuimus unquam.* —

Cic. p. Deiot. 9, 26. *Deiotarum saltantem quisquam aut ebrium vidit unquam?* p. Cluent. 57, 157. *quis de plebe Romana testimonium dixit unquam, cui non hoc periculum — paratum esse videatis?* Et in exeunte sententia relativa: p. Flacco 29, 71. *cur ergo unus tu — miseriores habes quam aut Mithridates aut etiam pater tuus habuit unquam?* Paradox. VI. 3, 51. *quanti est aestimanda virtus, quae nec eripi nec surripi potest unquam?* (quo tamen loco ultimo sunt etiam codices, in quibus particula prorsus omissa inveniatur.)

Apud poetas non sententia modo sed versus etiam ita claudi solet. Lucret. 1, 300 *nec tamen ad nareis venienteis cernimus unquam.* Plaut. Bacch. V. 2, 81. *neque, si hoc hodie amissis, post id eventurum esse unquam.* Non ubique tamen cf. Hor. Od. II. 17, 15.

Verbum non proxime invenitur antecedens Cic. Tusc. I. 23, 54. *quod si nunquam oritur, ne occidit quidem unquam*; ubi si obiicere volueris aliter scribi non potuisse, potuisse scribi respondeo aliter et quidem primum nec occidit unquam (cf. libr. nostr. Lat. Stil. p. 125.), deinde, nisi clausulam Cicero spectasset illam, quam dicimus, facile etiam nec unquam occidit.

Non plane praetereundus videtur esse usus, quo particula illa sententiae ellipticae eaeque brevissimae finiantur. Cic. ad Attic. III. 12, 1. *cum ita sim afflictus, ut nemo unquam.* Cui loco simillimus quidem, sed grammaticam verborum rationem si spectas, difficilior hic est: Liv. XXXIV. 32. init. *cum tyranno instituere amicitiam et tyranno, quam qui unquam, saevissimo et violentissimo in suos.*

h. Usquam particulae paucissimis modo locis hic usus demonstrari potest.

Et in sententia et versu exeunte legitur apud Lucretium 1, 795, *constare necesse est Ex aliis ea, quae nequeant convortier usquam.*

Varr. R. R. II. 4, 11. *Vere sus usque adeo pinguitudine crescere solet ut se ipsa stans sustinere non possit neque progredi usquam.* Ubi ut particula idem valet quod usquam alio, ita idem, quod usquam alibi (Cic. ad Attic. XIII. 52, 2. Terent. Andr. II. 5, 9.) significat Plin. Paneg. 29, 5. *inde hic satietas nec fames usquam.*

2. Quemadmodum supra voces, quae dici possent negantes aut negantibus affinitate quadam coniunctae, ultimum sententiae locum occupare solere vidimus, ita occupant etiam nonnunquam affirmantes, quae sunt sane, profecto, scilicet, videlicet, nimirum. Quarum particularum, si accuratius intuemur, ea natura est, non ut ad unam aliquam partem sed ad universam sententiam, quam claudant, referendae esse videantur. Nec id mirum. Tres enim eae, quas attulimus extremas, ipsae pro sententiis habendae sunt, modo in brevius contractis: duae autem illae, quae antecedunt, facile cum his aequari conferrique possunt.

a. Profecto particulae vim et naturam etsi modo diximus esse affirmantem, nihil prohibet tamen quominus sententia, ad quam pertineat universam, negans inveniatur. Quod si est, id ipsum, non esse quid, severissime particula illa confirmari vides.

Cic. Divin. II. 5, 14. *ut, si quis M. Marcellum multis annis ante dixisset naufragio esse periturum, divinasset profecto.* Fam. I. 9, 22. *quae me moverunt, movissent eadem te profecto.* p. Quintio 12, 40. *si debuisset, Sexte, petisses statim, si non statim, paulo quidem post, si non paulo, at aliquanto, sex quidem illis mensibus profecto.* Off. III. 6, 31. — Plaut. Amph. V. 1, 35. *immo omnes sani sunt profecto.* Cistell. IV. 1, 14. *Haec sunt profecto.*

Cic. Tusc. II. 19, 45. *His tu praesentibus gemere et te iactare non audebis profecto.* p. Flacco 22, 53. *Non est ita, iudices, non est profecto.* Terent. Eunuch. II. 3, 89. *Non est profecto.* Plaut. Amph. I. 1, 218. *Non edepol volo profecto.*

Lucret. I. 1022. *Nec, quos quaeque darent motus, pepigere profecto.* Ubi versum quoque clausum particula invenimus aeque et iis locis, quos Handius Turs. IV. 596 attulit.

b. Sane hunc locum tenet in sententiis concessivis, quas quidem quae excipiant, iis ea, quae modo concessa sint, coerceantur.

Cic. Orat. 71, 234. *Sed si quos magis delectant soluta, sequantur ea sane, modo sic ut* — Quintil. VI. 2. 5. *Probationes enim efficiunt sane, ut causam nostram meliorem esse iudices putent —, sed —*

c. Scilicet saepe adhibetur ad sententias claudendas, praesertim eas, quae responsum aliquod contineant. Multo rarius ita nimirum et videlicet usurpantur. Quod vero tres istas particulas, vim earum nativam si spectaremus, cum integris quibusdam sententiis aequari posse diximus, comparare eas licet cum formulis ut opinor et mihi crede, ultimum et ipsis enunciatorum locum hic illic tenentibus. cf. Curt. VI. 10. p. 36. *Atqui nemo parcit morituro: nec cuiquam moriturus, ut opinor.* Cic. div. in Caecil. 12, 39. *Magna sunt ea, quae dico, mihi crede.* Quo utroque loco facile etiam unam ex particulis illis poni licuisse nemo non sentit.

Phaedr. App. III. 30, 2. *In terra nidum quia componit scilicet.* Alia eiusmodi exempla eaque a melioris notae scriptoribus repetita attulimus in libro de Stil. Lat. p. 23. Quorum sufficiat duo exscripsisse, particulam in responso adhiberi demonstrantia. Illic enim huius usus commemorandi occasio non erat. Cic. Legg. I. 13, 39. *De quo cum perpauca dixero. — Tu vero iam perpauca scilicet.* d. Invent. I. 31, 52. *utrum tandem fundum habere malis? Illum, inquit, meliorem scilicet.* Simile est illud Plautinum Pseud. III. 2, 88. *Sed utrum amicis hodie an inimicis daturus coenam? — Pol ego amicis scilicet.*

Reliquarum duarum particularum exempla haec sunt: Terent. Heaut. II. 3, 22. *Hic de nostris verbis errat videlicet, quae hic sumus locuti.* Cic. Legg. II. 6, 14. *Eas tu igitur leges rogabis videlicet, quae nunquam abrogentur.*

Lucret. I. 592. *Immutabile materiae quoque corpus habere debent nimirum.*

3. Simili quadam notionum convenientia inducti, tertio loco complectenda censemus haec: omnino, prorsus, utique cum iisque quae plane congruant, modo quod habeant imagines quasdam, funditus et radicitus. Num plane huc pertineat, nescimus. Ut deinde circumspiciamus voculas eas, quae illis contrariae quid notionis contineant, vix quidem certe quin huc referri debeat, dubitari non poterit. Adiectiva denique, quae quas dixi particulas, affinitate quadam attingant, haec sunt: omnis, totus, universus iisque quod contrarium ducendum sit, singuli. Pronomina, quae sunt quivis et quilibet, ad eandem quidem illam sodalitatem cupide accurrentia, satius erit hoc loco excludere. cf. 13. h.

a. Particulae, quas attulimus, non ita saepe claudendi enuntiati munus suscipiunt, una, ut videtur, excepta, quae est omnino. Atque haec quidem, si quaeris, quales sint sententiae eae, quarum ultimam sedem occupare consuerit, fere omnes negantes inveniuntur.

Cic. Divin. I. 39, 85. *Cur fiat quidque quaeris? Recte omnino. Sed non nunc id igitur.*

Lael. 4, 14. *Sensu enim amisso fit idem quasi natus non esset omnino.* Similiter in incisione extrema: Quintil XII. 8, 12. *Nam frequentissime aut non sunt omnino, quae promittebantur, aut minus continent.* Ex eodem genere exempla sunt ab Handio Turs. IV. 379 allata: Cic. Acad. II. 15, 47. Fin. II. 31, 100. N. D. III. 27, 69. In Coelii quidem epistola ad Cic. VIII. 14, 3 (non 9) apud Orellium omnino ad sententiam revocatur insequentem, quod quin fiat non prohibet certe ratio utriusque.

Prorsus raro huic usui inservit. Quintil. II. 8, 14. *Nam sunt haec duo vitanda prorsus, unum ne —, alterum ne —* Cic. ad Attic. XVI. 1, 5. *HSLXXII. satis esse, affatim prorsus.* Accedunt paucula eiusmodi exempla Plautina. Trinumm. III. 3, 1. *nullo modo potest fieri prorsus, quin dos detur virgini.* cf. Asin. I. 3, 83. Similiter prorsum vides adhibitum: Epid. IV. 2, 11. *Quid? ego lenocinium facio, qui habeam alienas domi atque argentum exgurgitem domo prorsum!* quamquam ibi rectius videri potest, particulam hanc idem quod foris significare censere. cf. Weise h. l.

Rarius etiam utique in parte ultima ponitur nec ea integrae, ut opinor, sententiae. cf. Cic. ad Attic. XIII. 48, 2. *et velim M. Varronis et Lollii mittas laudationem; Lollii utique.*

Funditus particulae hunc usum uno certe loco demonstrare licet Plautino. Bacch. III. 6, 31. *Pistoclere, perdidisti me sodalem funditus.* Paulo saepius ita usurpatur radicitus: id. Mostell. V, 1, 62. *Nam omnia malefacta vostra reperi radicitus.* Cic. Fin. II. 9, 27. *An potest cupiditas finiri? Tollenda est atque extrahenda radicitus.* cf. Tusc. II. 5, 13. *cultura autem animi philosophia est: haec extrahit vitia radicitus et praeparat animos ad satus accipiendos.* ibd. I. 46. 111. *Hanc excutere opinionem mihimet volui radicitus eoque fui fortasse longior.*

Exempla, ex quibus eluceat, etiam voculam, quae est vix, interdum id sibi sumsisse ut totam sententiam concluderet, haec habes: Cic. Rep. I. 37, 58. *Ista vero, inquit, adulta vix.* Fam. IX. 8, 2. *nunc autem quid est, sine his cur vivere velimus? Mihi vero cum his ipsis vix: his autem detractis, ne vix quidem.* Alia ratio est loci illius: in Pison. 12, 27 *cum tamen ille — Gabinius collegit ipse se, vix, sed collegit tamen;* ubi Orellius recte particulam suum et peculiare comma efficere voluit, cum idem valeat quod vix quidem suique iuris quodammodo sententiam exhibeat.

b. Ex adiectivis, quae supra attulimus, omnis et vero etiam universus ad terminandas sententias saepe adhibentur, reliqua duo non item. Atque illud quidem, etsi tam avide munus hoc arrepit, ut fere ubique se oculis legentium inculcet, non quovis tamen inclinatu aeque cupidum reperitur. Intemperanter scilicet hanc sedem ultimam velut suam occupare consuevit omnia, paulo minus confidenter ad eam omnes et omnium accedunt; reliquas formas in concludenda sententia tam raro deprehendimus, ut in extremam hanc partem quasi alienam possessionem ac paene dixerim errore quodam incurrisse videantur. Ceterum in genitivum, quem dixi, ita desinere enuntiata solent ut is ponderosam se appendicem praebeat substantivi proxime antecedentis. Reliquas duas formas ita locum tenere ultimum animadvertimus ut paenultima sedes verbo, quod dicunt, concedi soleat.

*α.* Cic. Tusc. I. 37, 133. *sale et facetiis Caesar — vicit omnes* Verr. III. 16, 41. *At te videlicet — imitabuntur omnes* V. 44, 114. *condemnat omnes* Auct. ad Herenn. IV. 24, 33. *scitis omnes* IV. 48, 61. *devolant omnes* Liv. XXIV. 16, 17. *epularentur omnes* XXXII. 21, 25. *obmutuistis omnes* ibd. 24, 10. Hirt. bell. African. 25. Quintil. Prooem. I. 16. *tractamus omnes.* Apud Lucretium I, 802. *sic alias aliis rebus mutarier omneis*, eadem et sententiae et versus est clausula. — De eiusdem poetae formula, quae est funditus omnes, alio loco disputandum erit.

Cic. Off. I. 14, 45 *quae ut concurrant omnia, optabile est.* N. D. I. 20, 55 *cui — fato fieri videantur omnia* p. Cluent. 70, 199 *quae vitiis animi in deterrimas partes iura hominum convertit omnia.* Verr. I. 5, 14. — Part. Orat. 4, 12. *quae in exornationem cadunt omnia* 20, 68 *ut ex iisdem locis ad fidem et ad inveniendum ducantur omnia* 18, 61. *inest enim infinitum in definito et ad illud tamen referuntur omnia.* Quintil. III. 6, 2—11, 8. — IV. 1, 21. *nisi defecerint omnia.* Plin. Paneg. 41, 2 *defuerint omnia.* Senec. ad Marc. 20, 2. *exaequat omnia.* Lactant. I. 5, 9. *subiacent omnia* 12, 7. *sustentantur omnia* II. 8, 68. *cernat omnia* al. Saepe verbum auxiliare praemittitur: Cic. Off. I. 14, 42. *ad quam haec referenda sunt omnia.* Part. Orat. 19, 66. Legg. II. 10, 24. p. Cluent. 37, 107. *demonstrata sunt omnia.* Quintil. Prooem. VII. 3. *peritura sint omnia.* Lactant. II. 8, 63. *facta sunt omnia* I. 5, 16. *nata sint omnia* I. 3, 7 al. Modos si spectas verbi antecedentis, infiniti vicinitatem paulo cupidius haec clausula amplectitur: Cic. Tusc. I. 22, 50. *si iam possent in homine vivo cerni omnia.* ibd. 23, 54. *si quidem necesse est a principio oriri omnia.* Auct. ad Herenn. IV. 5, 8. *posse omnia.* Terent. Andr. V. 6, 12. Lactant. I. 5, 3 al.

Exempla, in quibus interior illa verbi societas non reperiatur, haec sunt: Cic. Tusc. III. 22, 52. *Sed non sunt in hoc omnia.* Cat. M. 3, 8. *sed nequaquam in isto omnia.* p. Cluent. 70, 200. *cui posita sunt in vobis omnia.* cf. Part. Orat. 6, 20. Off. I. 16, 51 – 17, 54 — 24, 84 — 37, 132, Quintil. V. 10, 121. Terent. Andr. III. 2, 45.

Genitivo finitam vides sententiam: Cic. p. Sest, 24, 54. *Omitto gratulationes, epulas — laetitiam paucorum in luctu omnium.* Deinde ita, ut ille adnexus sit substantivo suo: id. Tusc. I. 16, 36. *sic permanere animos arbitramur consensu nationum omnium.* Off. III. 18, 57. *qui fons est fraudium, maleficiorum, scelerum omnium.* Catil. I. 12, 30. *stirps ac semen malorum omnium.* p. Muren. 7, 15. *ornamentorum omnium.* Verr. III. 9, 23 al.

Ex nullo denique trium illorum generum haec sunt exempla: Cic. Tusc. I. 23. 54. d. Invent. I. 10, 13. Plin. Paneg. 68, 4. quibus facile concedo alia aliqua addi posse, multa tamen posse negaverim.

*β.* Part. Orat. 10, 34. *In veri similibus et in propriis rerum notis posita est tota.* Divin. in Caecil. 2, 5. *Defendo enim multos mortales, multas civitates, provinciam Siciliam totam.* Verr. III, 10, 26. *Negat me recitare totum.*

*γ.* Hirt. b. Afric. 3. *ut in tempore, iis perlectis, locum certum peterent universi.* ibd. 40. *Galli Germanique, qui restiterant —, conciduntur universi.* b. Alex. 52. *Clamore sublato, fit a coniuratis impetus universis.* Aliis locis universi apertius aut uni aut singulis opponuntur: Cic. p. Cluent. 69, 198. *Non multi mihi ab uno sic diligi videntur, ut hic ab his universis.* Tusc. V. 36, 104. *An quidquam stultius quam quos singulos — contemnas, eos aliquid putare esse universos?* Quintil. V. 13, 13. *ut nunc singula ostendamus, nunc complectamur universa.*

*δ.* Similis notionum oppositio sed inverso ordine facta invenitur Quintil. V. 13, 11. *Videndum etiam, simul nobis plura aggredienda sint an amolienda singula.*

Sunt etiam exempla, in quibus singularis sententiam claudat, sed ita ut idem significet quod eximius eoque ei tacite quidem vulgaris opponi videatur. Cic. Verr. IV. 40, 87. *opus est non solum ingenio, verum etiam artificio quodam singulari* p. Plancio 9, 24. *quis est igitur, qui neget, ordinis eius studium fuisse in honore Plancii singulare.* Num talia quoque reperiantur, in quibis mera notio numeralis agnoscenda sit, ignoramus.

4. Quartum locum teneant voces nonnullae modum quendam significantes aut qui expleatur dumtaxat aut cui non sufficiatur aut extra quem prodeatur denique; quae sunt: satis et admodum, deinde parum, tum abunde, affatim, ultra, nimis, nimius. Ex iis tamen duae sunt modo, satis et parum, ad quas quasi iustas et consuetas clausulas decurrat oratio.

a. Et satis quidem omnium saepissime concludit sententiam, praesertim negantem. Antecedere autem aut proxime aut longiore intervallo solet unum ex verbis quatuor, quae sunt esse, facere, agere, habere, quibuscum particula illa singulas quasdam notiones efficere censenda est. Apud poetas, ut hoc addam, ubi sententiam, ibi etiam versum finire solet.

Cic. Legg. I. 17, 47. *cuius blanditiis corrupti, quae natura bona sunt, non cernunt satis.* Nep. Ages. 8, 1. *qui autem virtutes noverant, non poterant admirari satis.* Similiter in membro sententiae exeunte: Cic. p. Milon. 29, 78. *Non potest dici satis, ne cogitari quidem, quantum in illo sceleris, quantum exitii fuerit,* Tac. Hist. 3, 40 f. Plaut. Trinumm. V. 2, 8. Terent. Andr. V. 4, 11 al.

Praemissum deinde invenitur verbum auxiliare, quocum particula mente copulanda sit, et aliis sententiae partibus interiectis, ut Cic. Brut. 35, 135. *Q. Metellus et M. Silanus dicebant de republica, quod esset illis viris et consulari dignitati satis.* Quintil. Prooem. VIII. 31. *Tamen in hac ipsa cura est aliquid satis.* Ovid Amor. II. 10, 12 — 13, 28. et ita, ut duae voces coniunctim sint collocatae, ut Quintil. IV. 5, 27. *cum aut in species partimur, quod in genera partiri sit satis.* Cic. Orat. 22, 73. *In quo Apelles pictores quoque eos peccare dicebat, qui non sentirent, quid esset satis.* Paradox. VI. 3, 52. *nec eorum quisquam inventus est, cui, quod haberet, esset satis.* p. Rosc. Amer. 11, 30, *id quod in hac causa est satis.* Plaut. Menaechm. I. 4, 2. V. 5, 49.

Accedit notissimum illud quidem, non praetereundum tamen genus exemplorum, in quo sententia hoc modo terminata finiendae ex improviso orationi inserviat. Quod genus et ellipticum est et incipere solet a coniunctione adversativa. Cic. Orat. 22, 73. *magnus esset locus hic, Brute, — sed ad id, quod agitur, illud satis.* d. optim. gener. orat. 7, 23. *Sed de nobis satis. Aliquando enim Aeschinem ipsum latine dicentem audiamus.* cf. ad Attic. VI. 9, 1. *Quare de hoc satis.*

In negantium sententiarum fine vides particulam collocatam: Cic. Divin. in Caecil. 15, 47. *Est tamen hoc aliquid, tametsi non est satis.* Hor. Sat. I. 4, 40. *Neque enim concludere versum dixeris esse satis,* — cf. Senec. d. Provid. 2, 9. Quod saepissime fieri solet in transeundo a re minore ad maiorem. Cic. Tusc. II. 7, 17. *magna mehercule laus et eo ipso, per quem iuravi, Hercule digna; sed Epicuro, homini aspero et duro, non est hoc satis; in Phalaridis tauro si erit, dicet: Quam suave est hoc!* p. Ligario 4, 10. *Arguis fatentem. Non est satis. Accusas eum, qui causam habet aut, ut ego dico, meliorem, aut, ut tu vis, parem. Haec admirabilia sunt.* — Eandem formulam habes: Agrar. I. 4, 11. Verr. III. 95, 221. Philipp II. 38, 99. p. domo 5, 12. Topic. 6, 29. Quintil. V. 10, 56. Hor. Sat. II. 3, 69. Similes sunt: *Nondum est satis.* Topic. l. c. et *Neque est hoc satis* p. Cluentio 11, 31.

Ceterum ab exemplis modo allatis, in quibus esse satis complectenda sunt idemque valent quod sufficere, apparet diversa esse illa, in quibus particula ad adiectivum aliquod antecedens pertineat. Quintil. II. 5, 20. *Cicero et iucundus et apertus est satis.* cf. Liv. II. 24. med. *Neque patribus decorum satis, per metum potius quam voluntate civium fortunis consuluisse.* — Quae tamen esse rarissima videntur.

Reliqua tria verba, quae commemoravi, non ita saepe inveniuntur praemissa. Cic. Brut. 5, 21. *Ego vero, inquam, si potuero, faciam vobis satis.* ad Attic. V. 18, 4. *Sunt enim negotia et lenta et inania. Faciam tamen satis: tibi quidem, cui difficilius est quam ipsi.*

ad Attic. IV. 15, 9. *Tribus habet Pomptinam, Velinam, Maeciam. Pugnatur acriter: agitur tamen satis.* cf. Plaut. Mercat. II. 1, 3. *proxima nocte in somnis egi satis et fui homo exercitus.*

Cic. Brut. 68, 240. *D. Silanus — studii ille quidem habuit non multum, sed acuminis et orationis satis.* Nep. Epam. 4, 2. *Nam si ea rex vult, quae Thebanis sint utilia, gratis facere sum paratus, sin autem contraria, non habet auri atque argenti satis.*

Addimus poetarum exempla, in quibus versum etiam, non modo sententiam particula conclusam videas: Plaut. Menaechm. I. 4, 2. *Abi atque obsonium adfer. Tribus vide quod sit satis.* V. 5, 49. *I, arcesse homines, qui illunc ad me deferant. — Quot sunt satis?* Trinumm. V. 2, 8. Ter. Andr. V. 4, 11. — Ovid. Amor. II. 10, 12. *Nonne erat in curas una puella satis?* ibd. 13, 28. *Hac tibi sit pugna dimicuisse satis.* Quo ultimo loco non versus modo sed totum poema ita est terminatum.

Ad formulam denique, quae est plus satis, alio loco redeundum erit.

b. Admodum particulae ea vis est, ut facile etiam ad aliam commentationis partem referri possit (cf. *omnino*). In fine quidem sententiae ut rarissime invenitur, ita memorabile nihil eius modi exempla habent, uno fortasse genere excepto, in quo particulam a voce negante, ad quam pertineat, aliis orationis partibus disiunctam invenias. Facile enim cuipiam hoc modo aucta illius vis videri poterit.

Cic. Verr. III. 5, 10. *Superiore omni oratione perattentos vestros animos habuimus: id fuit nobis gratum admodum.*

Plaut. Mercat. II. 3, 64. *Horunc illa nihilum quidquam facere poterit admodum.* Liv. XL. 59. init. *Armorum hostilium magnam vim transtulit, nullam pecuniam admodum.*

Apud Ciceronem Part. Orat. 20, 68. recte *admodum* Orellius plane excludendum censuit.

c. Parum aut ita claudere sententiam solet, ut verbum, quod dicunt, proxime antecedat, aut ita, ut repetendum sit a sententia superiore et quae sit ordinis eiusdem. Quod si fuerit, in superiore illa aut satis aut aliquid invenies, cui particula ea, de qua disputamus, aperte opponatur.

Plaut. Bacch. IV. 3, 35. *Fortassis tu auri demsisti parum.* Cic. Orat. 50, 168. *nam et verba eligebant et sententias graves et suaves reperiebant sed eas aut vinciebant aut explebant parum.* 64, 218. *Quare etiam paeona qui dixit aptiorem —, vidit parum.*

de opt. gen. orat. 1, 2. *de hominibus dicet aliquid, de re parum.* Brut. 68, 240. *Huius actio non satis commendabat orationem: in hac enim satis erat copiae, in illa autem leporis parum.* Similiter p. Marcell. 8, 25. *satis, si ita vis, naturae fortasse (vixisti), addo etiam, si placet, gloriae, at, quod maximum est, patriae certe parum.*

Peculiariter Seneca scripsit ad Helv. 11, 2. *Cupiditati nihil satis est, naturae satis est etiam parum.* („Das Zuwenig.“)

d. Abunde rarissime, affatim non ita saepe in exeunte sententia reperitur. Nimis etiam particulae et nimius adiectivi singulis modo exemplis hunc usum demonstrare possumus. Ultra, quod paulo saepius usque ad ultimum sententiae terminum descendit, primum ita eo descendere solet, si illa est negans, deinde auctam etiam vim habere videtur, si est elliptica. Ceterum apud Quintilianum quidem hunc locum tenet, non ut satis ei contrarium sit sed ut idem valeat quod praeterea.

Cic. ad Attic. IV. 15, 4. *neque tamen id ipsum abunde: nam absolverunt XXII, condemnarunt XXIIX.*

Plaut. Trinumm. V. 3, 10. *Miseria una uni quidem homini est adfatim. — Imo huic parum est* Poenul. IV. 2, 45. *quid est quod male sit tibi, quoi domi est, quod edis, quod ames, adfatim?* cf. ibd. III. 1, 31. *ubi bibas, edas de alieno, quantum velis, usque adfatim, quod tu invitus nunquam reddas domino, de quo ederis.* Sallust. Iug. 43, 3.

Plaut. Mil. IV. 8, 38. Ritsch. *Metuoque et timeo, ne hoc tandem propalam fiat nimis.*

Cic. Part. Orat. 23, 81. *studiis autem bonis similia videntur ea, quae sunt in eodem genere nimia.*

Quintil. VII. 1, 59. *qui id subtiliter quaeret, aliquid spectabit ultra.* III. 6, 81. *nec his exploratis, aliud est ultra.* VIII. 4, 25. *nihil dici potest ultra.* — Cic. Verr. V. 45, 119. *Estne aliquid ultra, quo progredi crudelitas possit?* (cf. nonne hoc est satis, quo crud. progrediatur?)

Cic. ad Attic. XV. 1. B. 2. *Est autem oratio scripta elegantissime sententiis verbis, ut nihil possit ultra.* Lepid. orat. contra Sullam 10. *habendus metus est aut faciendus, Quirites. Nam quid ultra?*

5. Est aliud quoque adiectivorum particularumque genus modum significantium, non eum tamen, ad quem num pervenias an non pervenias an vero eum egrediaris, spectantum sit: imo is iis modus significatur, in quo examinando iudicandoque ipso animus consistat. Ex hoc genere sunt magnus, permagnus, aliquantus — parvus, deinde longus, longe, diuturnus, diu — brevis, breviter. Simillima sunt ea, quae cum numeralia dici non possint, numeri tamen cuiusdam infiniti notionem habeant, ut multi, permulti, plerique, aliquot — pauci. Ad quae duo genera addi possunt tantus, totidem, toties, quibus si quaeras quae sint contraria, respondere licebit, tantum cum vi quadam dici, quod non aut maius aut minus sit, totidem autem, qui non inveniantur aut plures aut pauciores, toties denique fieri aliquid perhiberi, quod non aut saepius fiat aut rarius. Comparari cum his ultimis potest talis h. e. qui hac, quae describitur aut quam vides, non alia aliqua sit natura, ut illa si bona sit, malam, si mala, bonam intelligi oporteat contrariam.

Quintil. X. 1, 80. *Neque ego in his, de quibus locutus sum, has solas virtutes sed has praecipuas puto: nec ceteros parum fuisse magnos.* al. Cic. Agrar. II. 2, 5. *Hoc ego tam insigne beneficium, Quirites, cum ad animi mei fructum atque laetitiam duco esse permagnum, tum ad curam sollicitudinemque multo maius.* al.

Aliquantus hoc quidem inclinatu aut nusquam aut paucissimis locis videtur inveniri. cf. Sallust. Iug. 105. 4. *timor aliquantus, sed spes amplior.* — Quod contra aliquantum, praecedente quidem Genitivo

qui inde pendeat, saepius finiendis graviter sententiis adhibetur. Ibd. 62, 5. *Ita more maiorum per legatos Jugurthae imperat argenti pondo ducenta millia, elephantos omnis, equorum et armorum aliquantum.* Liv. XXIV. 47, 14. *Amplius septem millia hominum capta et aeris argentique signati aliquantum.* ibd. XXV. 10, 10. *signo dato, ad diripienda hospitia Romana passim discursum est et fuit praedae aliquantum.* Hic illic ablativus ultimum locum tenet. Cic. Fam. X. 30, 3. (in Galbae epist.) *Interim video me esse inter Antonianos Antoniumque post me esse aliquanto.* cf. Fam. IX. 26, 4.

Off. I. 41, 146. *si acres esse volumus animadversores vitiorum, magna saepe intelligemus ex parvis.* Cui loco similes reperire non erit difficile.

Longe si claudit sententiam, id quod fit rarissime, aut ita claudit ut loci in eo ratio insit aut ut intendat notionem superlativi. Ex illo genere sunt: Plaut. Pers. II 2, 35. *Eo ego hinc haud longe. — Et quidem ego haud longe.* Lucret. I. 59. — 2, 648. *semota ab nostris rebus seiunctaque longe*; ubi versum quoque adverbio finitum vides. Ex hoc: Quintil. IX. 2, 97. *Sed eruditissimum longe**), *si per aliam rem alia intelligetur.*

Longus apud Ciceronem interdum ita clausulam efficit ut idem valeat quod verbosus. N. D. I. 36. 101. *Possum de ichneumonum utilitate, de crocodilorum, de felium dicere, sed nolo esse longus.* d. Invent. I. 20, 28. *Hic tametsi tot res brevius non potuit dicere, tamen — fit rerum multitudine longus*

Diuturnus saepe finit sententiam, quod iam eo mirum esse non potest, quod terminationem habet etiam auribus blandientem, Cic. Divin. I. 49, 109. *quae enim extis praesentiuntur, haec notata sunt observatione diuturna.* Orat. III. 25, 100. *in qua (oratione) possumus iudicare, concinnam, distinctam, ornatam, — sine varietate — non posse in delectatione esse diuturna.* Philipp II. 44. 113. *Sed quoquo modo nobiscum egeris, dum istis consiliis uteris, non potes, mihi crede, esse diuturnus.* al.

Diu particulam pauculis certe locis iisque Ciceronianis ita sedem sententiae ultimam tenere animadvertimus, ut, cum parvo intervallo ex adversarii alicuius opinione aut manere aut mansisse aut mansurum quid *diu* commemoratum sit, repetatur hoc vocabulum *diu* idque quid sibi velit aut quemadmodum in re ea, de qua disputetur, locum habere possit, cum admiratione quadam quaeratur. p. Marcell. 9. 27. *tum te satis diu vixisse dicito. Quid est enim omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum?* Cat. M. 19, 69. *Ille vult diu vivere, hic diu vixit. Quamquam, o dii boni, quid est in hominis vita diu?* Num haec vox apud bonos quidem scriptores ita etiam sententiam aliquam finiat, ut antecedentis ratio non habeatur, ignoro. cf. Lactant. I. 13, 6. *Fugit igitur expulsus et in Italiam navigio venit, cum errasset diu.*

Brevis minus huc pertinet, excepto tamen ablativo, qui nonnunquam partium sententiae agmen cogit idque ita ut adverbii instar sit positus et aut temporis notionem habeat, ut Cic Fam. V. 21, 5. *Ego, si videbitur recte fieri posse, ad te veniam brevi.* cf Sueton. Tib. 68.; aut idem significet, quod paucis, ut Orat. I. 42, 190. *Nunc complectar, quod proposui, brevi.* Legg. II. 14, 34. *Reddam vero et ipsa, si potero, brevi.* p. Plancio 40, 95. *cuius ego temporis rationem explicabo brevi, neque invitus.*

Breviter h. e. paucis, raro hoc munus suscipit. Cic. Orat. Part. 17, 57. *Et hoc totum quidem moveat, si bona ex fortuna quis cadat et, a quorum caritate divellatur, quae amittat aut amiserit —, exprimatur breviter.* Philipp. II. 8, 20. *Nec vero tibi de versibus plura respondebo; tantum dicam breviter: te neque illos neque ullas omnino literas nosse.*

Contra multi et permulti adiectivorum tam vulgaris hic usus est, ut cumulandis exemplis supersederi posse videatur. Paucula haec sufficiant: Cic. d. opt. gen. orat. 3, 7. *nam alterum multi viderunt, vitiosi nihil apud eos, alterum pauci, laudabilia esse multa.* Off. I. 1, 2. p. Milon. 31, 92. — Auct. ad Herenn. IV. 4, 6. *Nam isto modo eligere rudis quidem nemo potest, sed sine summo artificio multi.* Plin. H. N. XXXV. 11, 40. *Eam picturam imitati sunt multi, aequavit nemo.* — Cic. Fin. I. 8, 28. *magnitudinem solis probabo et Democriti errata ab Epicuro reprehensa et correcta permulta.* Auct. ad Herenn. IV. 16, 23. *quia necesse est eam, quae suum corpus addixerit cupiditati, timere permultos.*

Plerique multo rarius sententiam claudit. Cic. Legg. I. I, 5. *Intelligo te alias in historia leges observandas putare, alias in poemate. — Quippe cum in illa ad veritatem, Quinte, referantur, in hoc ad delectationem pleraque*; quae quidem clausula eo gravior videtur esse, quod ad utrumque membrum est referenda (cf Orelli h. l.). Apud Tacitum Hist. I, 86. *Rapti e publico plerique, plures in*

*) Hanc verborum inversionem, cum id ab Handio Turs III. v. longe. silentio videam praeteritum, moneo hoc loco, etiamsi discedatur a clausula, rarissimam esse. cf. Liv. III. 27, 1. *primus longe Romanae iuventutis* VIII. 13, 16 *firmissimum longe imperium.* Quintil. X. 1, 67. *utiliorem longe fore Euripidem.*

*tabernis et cubilibus intercepti*, — plerique qui dicuntur, multi modo esse censendi sunt. cf. Boettich. Lex. h. v.

Rarius etiam hoc loco aliquot deprehenditur. Auct. b. Hisp. 27 init. *Equites in oliveto, dum lignantur, interfecti sunt aliquot.*

Nec pauci hanc sedem in deliciis habet. Hor. Sat. I. 6, 60. *Respondes, ut tuus est mos, pauca: abeo.* Terent. Andr. V. 3, 22. *Pater, licetne pauca?* (h. e. dicere.) — *Quid dices mihi?* cf. Cic. Tusc. II. 1, 1. *Neoptolemus quidem apud Ennium philosophari sibi ait necesse esse, sed paucis: nam omnino haud placere.*

Tantus saepe sententiam terminat. Cic. Orat. II. 14, 59. *illud iam mirari desino, quod multo magis ante mirabar, hunc, cum haec nesciret, in dicendo esse tantum.* Off. I. 22, 77. *Quae res igitur gesta unquam in bello tanta? qui triumphus conferendus?* Auct. ad Herenn. I. 12, 21. *Cum L. Saturninus legem frumentariam de semissibus et trientebus laturus esset, Q. Caepio docuit senatum, aerarium pati non posse largitionem tantam.* (cf. infra Cap. III. 5.)

Totidem vocabulum non plane respuere claudendae sententiae munus, unum certe exemplum demonstrat: Cic. p. Plancio 22, 53. *At nonnullas (tribus tulerunt) punctis paene totidem.*

Quod idem cadit in toties particulam. Cic. ad Attic. VII. 12, 3. *Interim velim mihi ignoscas, quod ad te scribo tam multa toties.* Quamquam eius aliud etiam exemplum allatum invenies. Cap. III. 5.

Talis ad finem sententiae saepius descendit. Cic. Off. III. 10, 45. *Loquor autem de communibus amicitiis? nam in sapientibus viris nihil potest esse tale* (quale antea dixi). Quintil. IX. 2, 80. *Nam quid impurius quam retinuisse talem?* ibd. V. 13, 6. *dignum quidem morte eum, pro quo loquemur, clementi tamen (principi) servandum esse vel talem.* Atque ut his locis adiectivum in malam partem accipiendum est, ita in bonam illo: Plaut. Mercat. III. 1, 3. *Ne plora. Nimis stulte facis: oculos corrumpis tales* (h. e. tam pulchros quam tui sunt) cf. Cic. N. D. III. 38, 92. — Alia exempla habes Cap. III. 5.

6. Quoniam modo de vocibus disputatum est, infinitum quendam numerum significantibus, sponte hoc loco proximo eae se offerre videntur, quae significent definitum. Quas cum percenseamus, identidem quidem non plus duas hanc sedem ultimam occupare solere animadvertimus, quae sunt unus et semel. Addi poterit duplex, modo quod terminandae ita sententiae plerumque alia causa eaque gravior quam quae repeti possit a notionum inter se oppositione, agnoscenda videtur. Reliquae eiusmodi voces nec abhorrent ab illa sede nec eam cupidius consectantur.

a. Ut digeramus exempla, primum ea esse nonnulla reperimus, ut numerali illi, quod concludat sententiam, alia aliqua vox, quae sit notionis quodammodo contrariae, aperte opponatur. Ac praecipue quidem unus ita ad finem descendere solet, ut ei aut omnes aut multi aut ceteri aut tale quid evidenter respondeat.

Caes. b. Gall. 6, 13. *His autem omnibus Druidibus praeest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem.* Cic. Orat. 6, 24. *omnes ad te cives cum tabulis veniemus, omnium testamenta tu scribes unus.* Lael. 2, 6. *Sed existimare debes, omnium oculos nunc in te esse coniectos unum: te sapientem et appellant et existimant* (Orelli: *esse coniectos unum te* — quod a contextu sententiarum non minus est probabile).

p. Rab. Post. 15, 41. *Ille onera multorum huius amicorum excepit unus.* Off. II. 12, 43. *Testes sunt permulti in utramque partem; sed brevitatis causa familia contenti erimus una.*

p. Sulla 13, 39. *Credo, iudices, celatum esse Cassium de Sulla uno. Nam de ceteris certe sciebat.* Verr. V. 64, 166. *Hoc teneo, hic haereo, iudices, hoc sum contentus uno: omitto ac negligo cetera.* ad Attic. VI. 1, 3. *Pompeius plus potest unus quam ceteri omnes.*

Hirt. b. African. 1. *cum non amplius legionem tironum haberet unam, equites vix sexcentos.*

Cic. Verr. V. 29, 73. *dixit se, quod sciret sibi crimini datum iri, pecuniam accepisse neque de vero archipirata sumpsisse supplicium, ideo se securi non percussisse: domi esse apud sese archipiratas dixit duos* (ubi duo hi uni illi archipiratae, qui vere erat, opponi videntur).

Rep. I. 29, 45. *Itaque quartum quoddam genus reipublicae maxime probandum esse censeo, quod est ex his, quae prima dixi, moderatum et permixtum tribus.* cf. Orat. 15, 50. *Jam vero ea, quae invenerit, qua diligentia collocabit? quoniam id secundum erat de tribus.*

Varr. R. R. II. 5. med. *Armentum aestate ad aquam appellendum bis, hieme semel.* Cic. Lael. 3, 11. *qui consulatum petiit nunquam, factus est consul bis.*

Terent. Heaut. prol. 5. *Hodie sum acturus Heautontimorumenon: simplex quae ex argumento facta est duplici.* Alia exempla vide infra Cap. III. 6.

b. In aliis exemplis tectior est illa notionum oppositio.

Caes. b. Gall. 1, 7. *erat omnino in Gallia ulteriore legio una* (h. e. non plures). Cic. Verr. V. 48, 126. *Hic locus est igitur unus, quo perfugiant.* Orat. Part. 22, 76. *Nam quae prudentia, quae calliditas quaeque gravissimo nomine sapientia appellatur, haec scientia pollet una.*

Caes. b. Gall. 6, 11. *namque omnes civitates in partes divisae sunt duas* (h. e. non sunt concordes, non una est civitas quaeque sed duae).

Auct. b. Hisp. 13. *cum nostri equites pauci in statione fuissent a pluribus reperti, de statione sunt deiecti et occisi tres* (h. e. tres modo, non plures) cf. Cic. p. Milon. 16, 44. *Vos ex Favonio audistis, Clodium sibi dixisse, periturum Milonem triduo. Post diem tertium gesta res est, quum dixerat* (h. e. triduo, non pluribus diebus post, non serius).

Quintil. III. 7, 21. *et si quod est exemplum deforme posteris traditum, quale libidinis vir Perses in muliere Samia instituere ausus dicitur primus.* Hor. Od. IV. 9, 22. *non ferox Hector vel acer Deiphobus graves excepit ictus pro pudicis coniugibus puerisque primus.*

Semel ita si concludit sententiam, potestas eius aut haec est: semel, non pluries; aut talis quaedam: semel modo, ne dicam pluries; semel certe, si non pluries. Exempla, quae habeo, ex poetis sumpta sunt, omnia autem ea, ut numerale simul et sententiam et versum finiat. Tibull. I. 9, 5. *aequum est impune licere Numina formosis laedere vestra semel.* II. 6, 42. *Non ego sum tanti, ploret ut illa semel.* Priap. 39. *Licebit hoc inultus auferas semel.* Ovid. Heroid. 21, 3. *nisi, ut ipse fateris, Promissam scires me satis esse semel.* 5, 101. *Nulla reparabilis arte Laesa pudicitia est, deperit illa semel* (h. e. cum dep. illa sem.) Apud Plautum quom semel, ut semel similiaque particularum paria in singulas fere notiones coalescentia ad consectandam clausulae gravitatem divulsa videmus: Amph. Prolog. 106. *quantusque amator, quom quid complacitum 'st semel.* ibd. III. 1, 13. *Nunc Amphitruonem memet, ut occoepi semel, Esse adsimulabo.* I. 1, 121. *Neque se luna quoquam mutat statque, uti exorta est semel.* Similiter Cistell. I. 1. 79 *matronae magis conducibile est istuc — Unum amare et cum eo aetatem exigere, quoi nupta est semel.*

c. Cum his duorum exemplorum generibus, in quibus numeralium pondera eo quod in exeunte sententia sint collocata, nonnihil aucta esse videri debeant, non commiscendum censemus esse tertium quoddam eorum, in quibus eundem illa quidem locum tenere videamus, sed ita ut simpliciter potius quam graviter scribendi studium appareat. Nimirum historici in exercitus alicujus partibus enumerandis ita legiones, cohortes, equites, naves afferre solent, ut primo quoque loco genus militum, deinceps numerum eorum commemorent. Similiter in intervallis definiendis formula, quae est: millia passuum, perhibetur primum, deinceps additur, quot millia intelligenda sint. Vides hanc esse collocationem substantivi eique adiectivi adhaerentis vulgarem: modo quod numerale, in ultimam sententiae sedem si incidit, non omni gravitate carere potest. Quam tamen num ei tribui voluerint scribentes, magna est quaestio.

Eiusmodi quidem loci: Cic. Fam. X. 24, 3 *In castris meis legiones sunt veteranae tres, tironum vel luculentissima ex omnibus una.* Caes. b. civil. 2, 5. *Nam ad eas (naves), quae factae erant Arelate per Caesarem, captivae Massiliensium accesserant sex* — per me licet ita intelligantur, ut numerale in sententia exeunte dedita opera videatur positum. Multo minus id cadere vides in talem: Hirt. b. Alex. 16. fin. *Capitur hoc proelio quinqueremis una et biremis cum defensoribus remigibusque et deprimuntur tres, nostris incolumibus omnibus;* — ubi iam concinnitate membrorum (*Capitur — et deprimuntur*) id effectum videtur ut ad clausulam hanc auctor descenderet. Omni denique exemtos dubitatione concedes locos eiusmodi: Caes. b. civ. 1, 18. *Mittit eo M. Antonium cum legionis octavae cohortibus quinque.* ibd. 1, 16. *pontem fluminis interrumpebant, qui erat ab oppido millia passuum circiter tria.* Hirt. b. Alex. 29. init. *aberat autem ab regis castris millia passuum circiter septem.* ibd 36. med. *castra posuit longe a Nicopoli circiter millia passuum septem.* — Contra dubitari rursus poterit, an ad augendum numeralis momentum consulto scripserit Auct. b. Hisp. 41. *Huc accedebat ut aqua circumcirca nusquam reperiretur propius millia passuum octo.*

7. Saepissime semper et sempiternus locum extremum tenent, multo rarius nonnunquam, quod quidem esse videri potest cur ad amplioris clausulae provinciam reiiciatur.

Exempla, quibus saepe, aliquando, interdum, raro particularum hic usus demonstretur, paucissima sunt. — Accedant ad has voces temporis aliquam rationem significantes duae, quae ad rationem loci pertineant, quae sunt ubique et undique. Quarum cum ea sit notio, quam facile infinitam aut certe latissime patentem dici liceat, illa quidem, ut potestate comparari potest cum particula ea, quam primo loco attulimus, ita saepe etiam cum ea copulata invenitur. Burm. ad Quintil. I. 1. 29. *semper et ubique.* cf. Bonnel. Lex. v. *semper.*

a. Semper si finit sententiam, aut raro aut similis ei vox opposita inveniri solet. Item sempiternus adiectivo saepissime aut brevis aut mortalis aut simile quid respondet. Deinde in particulam ita desinere sententia consuevit, ut proximum locum occupet verbum, quod dicitur: quamquam rarius illa, si quaeris, in sententiis quam membris exeuntibus invenitur. Poetarum exempla maximam partem ea sunt, ut una cum enuntiato versum ita conclusum videamus. — Adiectivum quidem cupidissime totius sententiae sedem ultimam occupat, ad quod nonnihil certe id contulisse videtur, quod clausula talis ad aurium etiam pertinet voluptatem (cf. *diuturnus*).

Quintil. V. 13, 45. *Rursus aliud in scholis permittendum semper, in foro raro.* VIII. 3, 17. *Et honesta quidem turpibus potiora semper nec sordidis unquam in oratione erudita locus.* X. 1, 106. *Pugnat ille acumine semper, hic frequenter et pondere.*

Alia exempla sunt: Quintil. II. 17, 7. *atqui dixisse homines pro se et in alios semper.* — Et verbo antecedente: Cic. d. Invent. II. 34, 104. *Quodsi hic pro suis beneficiis, pro suo studio, quod in vos habuit semper, — uni delicto ut ignosceretis postularet* — Hor. Od. II. 9, 17. *flevere semper;* maxime auxiliari: Auct ad. Herenn. IV. 18, 25. *Nam qui suis rationibus inimicus fuerit semper, eum quomodo alienis rebus amicum fore speres?* Quintil. VI. 2, 4. *argumenta plerumque nascuntur ex causa et pro meliore parte plura sunt semper.* Lactant. I. 8, 5. *diis quid opus est altero sexu, cum successione non egeant, qui futuri sunt semper?* Plaut. Stich. I. 1, 6. — Saepissime proximum locum aut infinitus aut participium aliquod tenet. Cic. Fin. V. 20, 55. *Sunt indicia naturae, ut appetat animus aliquid agere semper neque* — ibd. 56. *Quin etiam inertissimos homines — videmus tamen et corpore et animo moveri semper et, cum* — Verr. V. 21, 60. *Erat hoc, ut dico, factitatum semper nec solum in Sicilia sed* — — Quintil. VII. 1, 49. *sed enim in commune de iure omni disputandum semper nec* — ibd. V. 13, 45. *permittendum semper.*

Versum simul claudit particula: Plaut. Stich. I. 1, 6. Ritsch. *Sollicitae nocteis et dies, soror, sumus semper.* Lucret. I, 982. *effugiumque fugae prolatet copia semper.* Tibull. IV. 1, 153. *Atque duae gelido vastantur frigore semper.*

Adiectivi exempla in fine sententiae positi haec sunt: Cic. p. Sestio 21, 47. *Nesciebam, vitae brevem esse cursum, gloriae sempiternum?* N. D. I. 8, 20. *cur mortalem fecerit mundum, non, quemadmodum Platonicus deus, sempiternum.* In quibus vides apertam esse notionum oppositionem, quam dixi. Alia exempla haec addo: Plaut. Pers. I. 1, 37. *facere amicum tibi me potis es sempiternum.* Cic. p. Milon. 31, 84. Divin. I. 55, 125. N. D. I. 41, 114. Lael. 10, 35. Tusc. I. 27, 66 — 49, 118. (bis) ep. ad. Brut. I, 15. (Orell. p. 672.) Saepissime ita memoria dicitur sempiterna, modo ut coniunctim haec duo ponantur, ut p. Arch. poet. 12, 30. *Ego vero omnia, quae gerebam, iam tum in gerendo spargere me ac disseminare arbitrabar in orbis terrae memoriam sempiternam;* modo ut sint aliis verbis disiuncta, ut p. Plancio I, 2 *video enim hoc in numero neminem, cui non sim obstrictus memoria beneficii sempiterna.* Off. II. 22, 76. Zumpt.

b. Sequuntur exempla ea, quibus saepe, nonnunquam, aliquando, raro particularum hic usus comprobetur. Sunt autem cuiusque pauca.

Nonnunquam finit sententiam ita ut ei semper sit oppositum: Auct. ad Herenn. IV. 41, 53. *Vehemens haec est exornatio et in coniecturali constitutione causae fere semper necessaria et in ceteris generibus causarum — adhibenda nonnunquam.* Alia exempla sunt: Cic. Fin II. 2, 5. *definitio est, qua tu etiam imprudens utebare nonnunquam.* Part. Orat. 28, 98 *finis est aequitas, quae non simpliciter spectatur sed ex comparatione nonnunquam.* Quintil. IV. 1, 24. *nam id exigit ratio nonnunquam*

Quintil. II. 17, 19. *Nam et imperator falsis utitur saepe.* ibd. VI 3, 8. f. *erumpit enim invitis saepe.*

Cic. p. Caelio 6, 13. *quis clarioribus viris quodam tempore iucundior? quis turpioribus coniunctior? quis civis meliorum partium aliquando?* Quintil. IV. 1, 50. *Id cum sit utile aliquando, nunc a declamatoribus quibusdam paene semper assumitur.*

Ut hoc ultimo loco aliquando et semper inter se respondent, ita semper et raro, raro et saepissime: Quintil. V. 13, 45. *Rursus aliud in scholis permittendum semper, in foro raro.* Cic. N. D. III. 27, 69. *ut vinum aegrotis, quia prodest raro, nocet saepissime, melius est non adhibere omnino.* — Adiectivi hunc in proverbio notissimo usum Cic. Lael. 21, 79. satis est tetigisse.

p. Deiotar. 2, 4. *Perturbat me, C. Caesar, etiam illud interdum* (L. illud etiam interdum, ut maior sit emphasis in clausula.)

Num crebro particulae huic rei inservientis aptum exemplum afferri possit, ignoramus. cf. Quintil. XI. 3, 56.

Frequens in membro certe sententiae exeunte adhibitum: Cic. p. Rosc. Am. 6, 16. *Erat ille Romae frequens atque in foro et in ore omnium quotidie versabatur.* Cat. M. 11, 38. *Adsum amicis, venio in senatum frequens ultroque offero res multum et diu cogitatas.*

c. Ubique et undique totam sententiam claudunt rarissime nec vero saepius multo incisionem.

Quintil. X 7, 26. *Studendum vero semper et ubique* — id. II. 12, 9. *Nam et clamant ubique et omnia levata manu emugiunt.* VIII. 3, 42. *quia vitium est ubique, quod nimium est.*

Tac. Hist. 4, 75. f. *hostes divisis copiis advenere undique.* — Cic. Verr. V. 26, 66. Zumpt. *Itaque ei concursus fiebant undique, ut non modo* — (vulg. *undique fiebant*). cf. Orat. I. 42, 191.

8. Et ipsae temporales particulae, sed tamen, ut inter sese vinculis — artioribus partim, partim laxioribus — colligatae, ita eximendae ex earum copulatione, quas modo percensuimus, hae sunt: statim, protinus, extemplo, continuo, confestim, actutum, deinde postea, antea (ante), quondam, tum iam, nondum, interim, cui quidem ultimo loco commemoratae oppositam intelligi volumus: *deinde.* Ex his ea sententiae sedes, de qua disputamus, duabus modo, quae sunt statim et antea (ante) ceditur saepius, reliquae omnes raro ad eam admittuntur.

Plerasque has particulas iam alio loco ita perlustrare studuimus, ut earum in finiendis sententiis usum respiceremus. cf. statim, protinus, continuo, extemplo (extempulo), confestim. Lat. Still. p. 188. 189. actutum p. 156. postea p. 224. 404. (ubi addendum erat Cic. Cat. M. 5, 13.) ante et antea p. 405.

Paucula restant de his duabus, quas ultimas posuimus, adiicienda. Primum formulae satis tritae, ut ante dixi et ut antea dixi*) rarissime inverso ordine inveniuntur, ut Cic. Rep. II. 28, 50. *est igitur fragilis ea fortuna populi, quae posita est in unius, ut dixi antea, voluntate vel moribus.* — Deinde non indignum videtur esse, quod commemoremus, apud Ciceronem quidem pleniore forma particulam multo saepius quam exiliore sententiam terminare solere, apud poetas tamen et omnino rariorem esse (Horatiano quidem uno solo loco exhibetur) et vero in desinente sententia reperiri, ni fallor, nusquam. Quod contra alterius exempla nonnulla inveniuntur: Terent. Andr. I. 5, 3. *Uxorem decrerat dare sese mi hodie: nonne oportuit praescisse me ante!* Item in hexametro eoque exeunte. Qui usus cum praecipue sit Lucretii, sufficiat versus monuisse identidem repetitos: *id quod iam supra tibi paulo ostendimus ante.* I. 430, 532. *Nam quodquomque suis mutatum finibus exit, continuo hoc mors est illius, quod fuit ante.* I. 671, 792. II. 753. III. 518. — Tertio loco peculiare quoddam exemplum addimus Ciceronis Off. III. 7, 71. *malitia, si omnia, quae turpia sunt, mala sunt, mala bonis ponit ante;* ubi ante non ad temporis sed loci rationem pertinet. Ceterum anastrophen, non tmesim hic agnoscendam esse, aliis quidem plane disparia inter se exempla commiscentibus, recte Halmius monuit ad Cic. p. Sulla p. 79. Comparari licet illud: Nep. Alcib. 8, 1. *contra Atheniensibus exhaustis praeter arma et naves nihil erat super,* itemque formulam, quae saepe apud comicos invenitur: *I prae* Terent. Eunuch V. 2, 69. Andr. I. 1, 144. *I prae, sequor.* Plaut. Pseudol. I. 3, 12. *I prae, puere.* ibd. I. 2, 38 *I, puere, prae.* Curc. IV. 2, 1. *I tu prae, virgo.*

Sed missis his particulis, earum hoc loco exempla, quae praesto sunt, adiiciamus, quas ll. cc. commemorandi occasio non fuit:

---

*) Zumptius ad Cic. Verr. p. 972. „*Ante dixi et antea dixi perinde est, sed nusquam est diximus in hac locutione.*" Minus recte. cf. *ut ante diximus.* Cic. Orat. I. 46, 201. Auct. ad Herenn. I. 11, 18. Similiter: *ut supra diximus.* Orat 49, 163. in quo omittimus locos huiusmodi: *ita generata sunt, ut supra diximus* Timae. 10. —

Sueton Caes. 22 f. *respondit quasi alludens: In Syria quoque regnasse Semiramim magnamque Asiae partem Amazonas tenuisse quondam.* (Quae sententia ita explenda erit: *non videre se igitur, quidni nunc simile quid faceret.*)

Senec d. Benef. II. 33 f. *Itaque cum benigne acceptum est beneficium, is qui dedit, gratiam quidem iam recepit, mercedem nondum.*

Cic. p. Rosc. Comoed. 3, 8. *Quam pridem hoc nomen, Fanni, in adversaria retulisti? — Sunt duo menses iam, dices.* cf. Liv. V. 48, 7. *postremo spe quoque iam, non solum cibo deficiente.* — Apud Ciceronem Div. I. 31, 67. interpunctio, prioribus quae placuit editoribus, melior videtur: *deus inclusus corpore humano iam, non Cassandra loquitur.* Orellius, Moserum secutus, interpunxit sic: – *humano, iam non* — Sed cf. Brut. 24, 91. *pleraeque enim scribuntur orationes habitae iam, non ut habeantur.* Senec. ep. 12, 4. *Iucundissima est aetas devexa iam, non tamen praeceps.* — Apud Cic. Fin. II. 22, 71. *Quid enim mereri velis iam, cum magistratum inieris?* hanc interpunctionem Handio etiam Turs. III. 137. probatam (quamquam idem num recte locum interpretatus sit, magna est quaestio) quam a Madvigio inductam (*quid enim mereri velis, iam quom* —), quidquid ille suo more se iactat, meliorem habeo.

Interim („vorläufig") et *deinde* inter se opposita vides: Curt. V. 9. p. 211. *Auspicium et imperium alii trade interim, qui tam diu rex appelletur, donec Asia decedat hostis: victor deinde regnum tibi reddat.*

9. Jam prodeant particulae communitatem quandam aut separationem significantes: simul, una, communiter — separatim, nominatim — deinde eiusdem generis adiectiva: communis — proprius, peculiaris, privatus. Quae cum voces omnes in finiendis sententiis adhibeantur, libentius tamen hoc munus non suscipiunt nisi simul, nominatim, communis.

Tac. Agr. 6. *Auctus est ibi filia in subsidium et solatium simul;* (ubi Waltherus halucinatur) Plerumque verbum, quod dicitur, proxime antecedit: Liv. X. 27, 2. *ita convenit ut ne unis castris miscerentur omnes neve in aciem descenderent simul.* XXIV. 16, 6. *qui pugnaverant segnius nec in castra irruperant simul,* — Quintil. I. 12, 4. *quae si velut sub uno conatu tam diversa parent simul.* —

Apud poetas etiam versus ita concluditur: Plaut. Pseud. V. 2, 51. *Te sequor. Quin vocas spectatores simul?* cf. Stich. II. 3, 40. *Postquam me misisti ad portum cum luci simul, commodum* — Item verbum particula subsequente: Pseud. III. 2, 69. *Quoquo hic spectabit, eo tu spectato simul* — (v. 74.) *si iste ibit, ito, stabit, adstato simul.* IV. 7, 86. *Noctu in vigiliam quando ibat miles, tum tu ibas simul?* Terent. Andr. III. 2, 34. *missa est ancilla illico obstetricem arcessitum ad eam et puerum ut adferret simul* III 3, 7. *quae (amicitia) incepta a parvis cum aetate adcrevit simul.* cf. III. 2, 31. *multa concurrunt simul, qui coniecturam hanc nunc facio.*

Separatim commemorandas censemus formulas, et ipsas in fine sententiae, apud poetas vero etiam versus collocari solitas, quae sunt *mecum simul.* Cic. ad Fam. IV. 9, 3. Plaut. Pseud. IV 7, 19. *tecum simul.* Hor. Epod. I, 7. Plaut. Amph. II. 2, 145. *secum simul.* Bacch. IV. 1, 3.. Pseudol. II. 3, 27. IV. 3, 17.*).

---

*) Partium formulae hic ordo etiam extra clausulam servari solet, cum nobis quidem non minus recte „zugleich mit mir" similiaque dicere liceat quam „mit mir zugleich". cf. *mecum simul* Cic. Fam. XV. 4, 8. VII. 1, 5. p. domo 7, 17—53, 137. p. Sestio 20, 45—22, 49 et 50. Plaut. Rud. Prolog. 53. *tecum simul.* Cic. p. Quintio 11, 37—27, 85. p. Marcell. 6, 19. p. domo 47, 124. Legg. II. 3, 6. Acad. I. 1, 3. p. Plancio 42, 101. *secum simul* Sueton. Caesar. 1. fin. *nobiscum simul.* Cic. p. domo 30, 79. p. Arch. poet. 12, 30. Auct. ad Herenn. IV. 9. 13 Gell. N. A. I. 2, 3. *vobiscum simul.* Cic. p. Fonteio 11, 23 Rep. I. 46, 70. Sunt etiam loci, ubi partes formulae inveniantur disiunctae: Cic. p. Plancio 42, 102. *mecumque vos simul hic obtestatur parens;* praecipue apud Plautum: Mil. G. IV. 8, 8. Ritsch. *mecum venisset simul.* Bacch. III. 5, 2. *ut eum mecum ad te adducam simul.* Menaechm. Prolog 26. *Tarentum avexit secum ad mercatum simul.* — Ciceronianum quidem unum modo locum reperi regulae illi repugnantem: Fam. XVI. 9, 2. *eodemque tempore simul nobiscum in oppidum introiit Terentia;* itemque Plautinum unum: Pseudol. V. 2, 46. (28.) *simul mecum i potatum.* Moneo tamen sola me pronomina hic respici velle personalia, reliquis plane omissis (cf. *simul cum eo* Cic Fam. VI. 5, 3. *simul cum iis* Liv. 38, 10. al.) Ceterum non minus firmus videtur esse ordo formularum *mecum pariter* Cic. Verr. V 67, 173. *secum pariter* p. Red. in Senat. 14, 34. *vobiscum pariter* Philipp. XII. 1, 1—10, 24 Quod contra uterque invenitur, et ille: *mecum una* Cic. ad. Fam. XII. 11, 1. Div. II. 68, 140. in Sallust. resp. 2, 5. *tecum una* p. domo 27, 70 div. in Caecil. 11, 34. *secum una* Verr. V. 40, 105; et ille: *una mecum* Plaut. Trinumm. IV. 1, 15. *una tecum* Cic. p. Marcell. 7, 21. Brut. 94, 324. *una nobiscum* Fin. V. 1, 1. Fam. VIII. 11, 2.

Cic. Verr V. 40, 104. *pereat Cleomenes una.* cf. Topic. 1, 4. *sed, dum fuimus una, tu optimus es testis, quam fuerim occupatus.* Attic. VII. 12, 4. *M' quidem Lepidus — nam fuimus una — eum finem statuit.*

Liv. XXIII. 35, 3. *petieruntque ut et Cumanus eo senatus veniret ad consultandum communiter.* —
Cic. Tusc. V. 7, 19. *nihilo minus hoc agunt separatim.*

Tusc. IV. 3, 5. *sapientiae studium vetus id quidem in nostris, sed tamen ante Laelii aetatem et Scipionis non reperio, quos appellare possim nominatim.* Orat. I. 38, 175. *quaesitum est, possetne paternorum bonorum exheres esse filius, quem pater in testamento neque heredem neque exheredem scripsisset nominatim* p. Sestio 10, 25. Verr. V. 36, 94.

Part. Orat. 38, 132. *sunt igitur ambigui duobus adversariis praecepta communia.* Quintil. IV. 1, 16. — Praecipue infinito antecedente: id. I. 16. Prooem. *nam verborum proprietas et differentia omnibus, qui sermonem curae habent, debet esse communis.* Cic. Tusc. V. 5, 14. *negatque ei cum dolore et cruciatu quidquam esse commune.* Off. III. 6, 27. *esse communem.* Philipp. I. 2, 5. *fuisse communia.* Off. I. 17, 55. *Magnum est enim eadem habere monumenta maiorum, iisdem uti sacris, sepulcra habere communia.*

Off. I. 19, 64. *difficile autem est, cum praestare omnibus concupieris, servare aequitatem, quae est iustitiae maxime propria.* Fam. VII. 30, 2. *Id enim est cuiusque proprium, quo quisque fruitur atque utitur.*

Martial. IV. 64, 7. *Et curvas nebula tegente valles solus luce nitet peculiari.* Locos huiusmodi prosaicorum non habeo, quos afferam.

Cic. p. Quintio 4, 15. *auctionem se facturum esse proscribit earum rerum, quae ipsius erant privatae.* Liv. 40, 51. M. *Fulvius locavit basilicam et forum piscatorium, circumdatis tabernis, quas vendidit in privatum.*

10. Comprehendi deinde licet eas voces, quae aut aequalitatem quandam aut diversitatem designent.

a. Atque ex illo quidem genere, saepius quae claudentes sententiam inveniantur, non plus duae afferri possunt, par et aequus. Multo rarius in illo munere fungendo aequalis et similis adverbiaque pariter, aeque, similiter deprehenduntur. De pronomine, quod est idem cf. 13. d.

Cic. p Ligario 6, 19. *Principum dignitas erat paene par, non par fortasse*) eorum, qui sequebantur.* (cf. Quintil IX. 3, 36.) Orat. I. 16, 70. *Est enim finitimus oratori poeta, numeris adstrictior paulo —, multis vero ornandi generibus socius ac paene par**).* d. opt. gen orat. 1, 3. *unum est autem*

---

*) Occasione hac forte oblata monendum arbitror, quod id nec in Tursellino nec alio ullo loco commemoratum video, consuetum hunc esse Ciceroni particularum ordinem, modo disiunctarum, ut supra, modo copulatarum. Topic. 19, 73. *non recte fortasse, sed.* — Philipp. II. 13, 32. *Non enim fortasse satis, quae dicuntur, intelligis.* Tusc I. 6, 12. *Non dico fortasse etiam, quod sentio.* Orat. III. 15, 56. *Non tam fortasse docti sed impetu mentis simili.* p. Plancio 11, 28. *non fortasse tam vehemens quam isti sed certe talis.* — Contra Quintil. IV. 5, 14. *factum fortasse non credet.* XII. 10, 26. *fortasse non possit.*

**) Primo loco nimirum etiam ita scribi licuit: *paene par erat;* nec vero altero adiectivum in fine poni necesse fuit. Nihil enim prohibuit quominus *ac par paene* scriberetur. Nam quod Madvigius dicit ad Cic. Fin. I. 2, 4. „*non memini, ubi Cicero paene post vocem primariam posuerit. — Quintilianus non raro postponit.*" ad primam quidem animadversionis illius partem iam Handius Tursell. IV. 418. respondit, quamquam is non plus unum locum attulit Ciceronianum Legg. II. 2, 4. Sunt autem plures. Ad alteram, quae est ea, ut Quintilianum modo hanc sibi collocationem condonasse credideris, aut corrigendam aut certe explendam hoc dico, Livium eam habere in deliciis: IX. 7, 1. *deploratum paene Romanum nomen* XXXI. 1. med. *crescere paene opus, quod prima quaeque perficiendo minui videbatur.* Saepius, id quod monet iam exemplum hoc ultimum, comparativo postponitur particula: IV. 13, 9. *serius se paene quam tutum fuerit, ea deferre* III. 53, 7. *prius paene quam ipsi liberi sitis, dominari iam — vultis.* IV. 27, 11. V. 38, 6. — IX. 31, 5. *praedae plus paene quam ex omni Samnio unquam egestum.* Similiter Cicero p. Plancio 1, 3. *de quo accusatores plura paene quam de re reoque dixerunt.* — Alia exempla Ciceroniana sunt: de Invent. II. 50, 152. *nihil esse paene, quod non alteri simile esse videatur* (cf. tamen Orell. h. l.) p. Sestio 27, 59. *Tigranes igitur, qui conflixit* (cum pop. Rom.), *qui signa contulit, qui de imperio paene certavit, regnat hodie.* Fam. IV. 6, 1. *Me autem non oratio tua solum et societas paene aegritudinis sed etiam auctoritas consolatur.* Orat. I. 49, 214. *Crassus mihi visus est oratoris facultatem non illius artis terminis sed ingenii sui finibus immensis paene describere.*

*genus perfecti (oratoris), a quo qui absunt, non genere differunt, sed in eodem non sunt pares.* Liv. VII. 10. Vellej. II. 29, 3. Sil. Ital. 16, 615.

Vellej. II. 105, 2. *virum navum, agilem, providum militariumque officiorum patientem ac peritum pariter, sed eundem —*

Suet. Tib. 11. *genus vitae civile admodum instituit, sine lictore gymnasio obambulans mutuaque cum Graeculis officia usurpans prope ex aequo.* Apud poetas simul versus ita claudi solet: Virg. Aen. 2, 723. *dextrae se parvus Iulus implicuit sequiturque patrem non passibus aequis.* Sil. Ital. 5, 98. *Interea rapidis aderit Servilius armis, Cui par imperium et vires legionibus aequae.* — Ceterum aliae quoque adiectivi notiones sunt, quibus indutum illud saepius sententiam concludere animadvertimus, ut Cic. Verr. V. 59. 154. *Hic vide, quam me sis usurus aequo.* Lucret. 3, 965. — Hor Od. III. 29, 32. *Quod adest, memento componere aequus.* id. Epist. I. 17, 23.

Cic. Verr. II. 54, 136. *Ac non solum erat administer istius cupiditatum, verum etiam ipse sui meminerat aeque: non solum* — (Zumpt: *meminerat: neque solum.* —) Sueton. Tib 2. med. *Exstant et feminarum exempla, diversa aeque* (h. e. ac virorum). Simul versus ita finitur Lucret. 1. 621. *Nil erit ut distent: nam quamvis funditus omnis Summa sit infinita, tamen, parvissima quae sunt, Ex infinitis constabunt partibus aeque.*

cf Quintil. IX. 3, 80. *Etiam ut sint membris aequalibus, quod ἰσόκωλον dicitur.*

id. V. 11, 32. *Illud est adnotandum magis, argumenta duci ex iure simili:*

Cic. Orat. III. 54, 206. *et illa, quae similiter desinunt aut quae cadunt similiter.*

b. Ex altero genere

α. primum afferenda videntur alius et quae eiusdem sunt stirpis adverbia: alias, alibi, aliunde, aliter; quamquam duo modo illa, quae prima commemoravi, sedem hanc velut consuetam tenent.

Cic. d. opt. gen. orat. 2, 6. *at Menander Homeri (similis esse) noluit: genus enim erat aliud.* Off. I. 37, 134. *nec vero tanquam in possessionem suam venerit, excludat alios.* Quintil. V. 14, 4. *ut si quis eorum damnatus esset, tu haec non scripsisses, ita, damnatus tu si fueris, non scribet alius.* id. X. 1, 7 - 4, 3. — Aliis locis verbum non invenitur praemissum: Cic Tusc. II. 19, 45. *summum autem (dolorem) dico, etiamsi decem atomis est maior alius.* Orat. II. 9, 36. Liv. II. 23. Quintil. II. 21, 10.— Quo accedunt formulae dicendi in enumeratione exeunte adhiberi solitae: *innumerabiles alii.* Cic. Off. I. 18, 9. Tusc. I. 46, 110. *et mille alia.* Quintil. I. 4, 13—6, 25. IX. 3, 1. *et plurima alia.* id. III. 4, 3. *similiter alia.* id. VII. 8, 5. XI. 1, 86.

Alias primum ita finire sententiam solet ut formulae exsistant ellipticae, quae orationi inserantur. cf. *si quando unquam alias.* Liv. VI. 42, 12. *si unquam ante alias.* id. XXXI. 7, 3. *si quando unquam ante alias.* id. XXXII. 5, 8.*) *ut semper alias.* id. II. 64, 1. *ut saepe alias.* IV. 37, 7. quibuscum conferri licet illa: *et saepe alias et —, cum saepe alias tum* — (Hand. Turs. I. 223.) quamquam hic quidem particularum ordo non semper servatur. — Deinde claudit saepe sententiam eam, qua qui utitur, mittere se velle rem usque eo tractatam significat. Cic. Fam. VII 6, 2. *Sed plura scribemus alias.* Ex quo genere praecipue bipartitae cuiusdam transitionis pars prima est eademque elliptica, quae cum in alias particulam desinat, altera pars incipit a particula nunc. Cic. Tusc. III. 5, 10. *sed id alias: nunc, quod instat.* ibd. III. 30, 73. *sed de hoc alias: nunc illud satis est* — Lael. 1, 1. *Sed de hoc alias: nunc redeo ad augurem.* Tusc. III. 11, 25. *Sed ceteras alias: nunc aegritudinem, si possumus, depellamus.*

Fin. I. 3, 7. *Facete is quidem, sicut alias.* A Madvigio aliisque recte scribitur *alia.*

Alibi haud scio an non inveniatur in sententia exeunte nisi cum aut usquam aut nusquam particula copulatum. Nec ita quidem saepius Cic. ad Attic. XIII. 52, 2. *Dolobella villam cum praeteriret, omnis armatorum copia dextra sinistra ad equum nec usquam alibi (h. e stabat),* ubi facile etiam scribi licuit: *nec alibi usquam* cf. Terent. Andr. II. 5, 9. Contra apud eundem poetam Heaut. II. 3, 38. *Hinc sciri potuit aut nusquam alibi, Clinia, quo studio vitam suam te absente exegerit* (cf. Hand. Turs. I. 229.) apparet aliter scribi non licuisse, praesertim cum alibi nusquam num ullo loco deprehendatur, iure et merito dubitare liceat.

*) Alia eiusmodi exempla Handius praebet in Tursell. I. 220. ea tamen, ut nec clausulae habeat rationem neque ordinem particularum inversum commemoret. Qui quidem est rarissimus. cf. Liv. IV. 26, 5. *quia, etsi saepe victi populi, maiore tamen conatu quam alias unquam rebellarent.* — Ceterum illorum, quae affert, numerum facile augeri posse vix operae pretium est monere. cf. Liv. XXII. 58, 2. Flor. I. 13, 8.

Plaut. Pseudol. II. 4, 44. *Ego dabo: ne quaere aliunde.* Cic. Tusc. I. 23, 54. *nec enim esset id principium, quod gigneretur aliunde.*

Legg. I. 17, 47. *Quod est longe aliter.* ibd. II. 10, 24. *Ain' tandem, Attice? non es dicturus aliter?* ad Att. VI. 6, 3. *Assentior: fieri non potuit aliter.*

*β.* Accedit contra, quod sententias praecipue ellipticas concludere solet. Quarum quidem peculiare genus id est, quo quae proxime antecesserit sententia, maximam partem animo repetenda sit. Adiectivum, quod est contrarius, cupidissime sedem ultimam occupat. Praeterea quaedam agnoscenda est affinitas, quae inter illam, quam attuli, particulam et obviam intercedat, quare huius etiam quae habeo exempla ad clausulam pertinentia hic afferantur.

Contrarius adiectivi usus iste vulgaris est nec quidquam habet memorabile. Cic Fin. II. 1, 2. *ut facile intelligi possit, eos non ipsos in ea sententia esse sed audire velle contraria* ep. ad Brut. 1, 17. (p. 677. Orell.) *tamen illud apparebit, verba rebus esse contraria.* Orat. 69, 231. *Nam de laudibus multa diximus, quibus sunt alia perspicua vitia contraria.* Part. Orat. 31, 107. al.

Cic. Fin. II. 1, 2. *quod cum dixissent, ille contra* (h. e. dixit). Ex alio genere sunt: Fin. III. 16, 54. *qui ita talus erit iactus, ut cadat rectus, praepositum quiddam habebit ad finem, qui aliter, contra.* Qui locus recte a Madvigio explicatur, modo quod addendum erat, non apodosis finibus hunc usum esse inclusum. cf. Invent. II. 17, 54. *Et (infirmabitur adversariorum descriptio), si cum definitione nostra adversariorum definitionem conferemus et nostram veram, honestam, utilem esse demonstrabimus, illorum contra.* Part. Orat. 5, 17. *ut sint alia (verba) sonantiora, grandiora, laeviora et quodammodo nitidiora, alia contra.* cf. formulas dicendi *vel contra.* Quintil. I. 5, 45. VII. 2, 15. *aut contra* id. II. 5, 15. His et talibus locis magnam esse clausulae gravitatem eoque maiorem, quo maior sit superioris sententiae amplitudo, nemo non videt. In quo si quis obiicere voluerit, eam esse brevioris sententiae formam, ut nisi ultimum locum, nullum particula habere possit, non futurum fuisse respondeo, ut haec enuntiati forma eligeretur, nisi ea graviorem effici clausulam constaret. — Memorabilis etiam usus videtur, quo particula illa ad praemissum quidem dicendi, eundi, ferendi verbum pertinens quasi anastrophe quadam ultimum locum teneat. Quamquam ita num totas etiam sententias, non membra modo terminet, ignoramus. Senec. d. Ira. III. 8, 4. *Dic aliquid contra, ut duo simus.* — Similia sunt exempla, ubi in particula loci inest ratio: Tac. Ann. 6, 44. *distrahi consiliis, iret contra an bellum cunctatione tractaret.* Cic. Divin. I. 37, 81. *Ex quo factum est ut et viderentur ferre arma contra et nive Gallorum obrueretur exercitus.* Off I. 12, 37. *qui ferret arma contra.* Quo tamen ultimo loco haec hodie leguntur: *qui arma contra ferret.* cf. ibd. I. 25, 87.

Hanc loci rationem si teneamus, contra et obviam particularum notiones inter se attingere, satis apparet. cf. Caes. b. Gall. 7, 28 *si qua ex parte obviam contra veniretur.* Solet autem obviam ita tenere locum ultimum, ut verba motum et progressum significantia antecedant, qualia sunt: ire, venire, accedere, occedere, procedere, praecurrere, obsistere, offerre se, mittere, deinde esse et habere, quorum usus in hoc genere exemplorum nihil fere ab illis discrepat. Comici quidem hac clausula maxime delectantur et quidem ita ut ea non modo sententiam sed saepissime versum etiam finitum velint. Ceterum non potest esse non memorabile, quod plurimorum locorum, qui huc pertineant, ea ratio est, ut obviam itio non eius, qui pugnare paratus sit, describatur, sed contra.

Prosaicorum exempla rariora sunt: Cic. Att. XII. 5, 4. *Ego misi Tironem Dolabellae obviam.* Fam. III. 7, 5. *Appius Lentulo, Lentulus Appio processit obviam: Cicero Appio noluit!* Hirt b. Afr. 7. *Legati ex oppido veniunt obviam; libenter se omnia facturos — pollicentur.* Gell. N. A. XVII. 4, 2. *Eum cum forte habuisset obviam, quaeso, inquit, dic mihi —*

Plaut. Pseud. I 3, 27. *Accedamus hac obviam.* cf. Menaechm. V. 8, 17. — *praecurristi obviam.* Capt. III. 2, 3. — *eunt obviam.* Deinde in fine versus: Trinumm. V. 2, 14. *Modo mi advenienti nugator quidam occessit obviam.* Capt. IV. 2, 12. *Minor interminorque, ne quis mihi obstiterit obviam, Nisi qui sat diu vixisse sese homo arbitrabitur.* Stich. IV. 1, 18. *Nimia est voluptas, si diu abfueris domo, domum si redieris, si tibi nulla est aegritudo animo obviam.* Terent. Phormio I. 4, 18. *ipse est, quem volui, obviam* h. e. se offert obviam, ut legitur Adelph. III. 2, 24. *Te expeto: oppido opportune te obtulisti mi obviam.*

*γ.* Praeterea huc pertinet secus particula, quae cum saepius sententiae sedem ultimam teneat, aut ita tenet, ut verbum, quod proprie dicitur, proxime antecedat, aut ita, ut plane illud omissum sit. — Adiectivorum restat ut mentio fiat duorum, quae sunt diversus et dispar, quorum alterum illud cupidius finiendae sententiae inservit, alterum multo segnius.

Cic. Tusc. III. 25, 60. *Mihi vero longe videtur secus.* ad. Fam. VI 4, 1. *Nunc tantum videmur intelligere non diuturnum bellum, etsi id ipsum nonnullis videmur secus.* Brut. 85, 293. *risum vix tenebam, cum Lysiae Catonem comparabas, magnum mehercule hominem vel potius summum et singularem virum: nemo dicet secus: sed oratorem?* — Ellipticam deinde sententiam ita conclusam vides: Part. Orat. 5, 15. *Quid faciendum est contra reo?* — *Omnia longe secus.* Tusc. I 39, 93. *At id quidem ipsum in ceteris rebus melius putatur, aliquam partem quam nullam attingere: cur in vita secus?* ibd. V. 30, 85. *ut Peripatetici nec multo veteres Academici secus.* cf. p. Milon. 10, 29. *Fit obviam Clodio ante fundum eius hora fere undecima aut non multo secus.* — Hic illic recte aut bene particulae aperte secus opponitur. Cic. Pison. 28, 68. *Recte an secus, nihil ad nos.* p. Rab. Post 1, 1. *quamquam hoc plerumque facimus, ut, cui bene quid processerit, multum illum providisse, cui secus, nihil sensisse dicamus.*

Cic. Fam. I 7, 10. *Quod scribis te velle scire, qui sit reipublicae status: summa dissensio est, sed contentio dispar.*

Diversus si finit sententiam, saepe ei aut par aut idem respondet, ut Tac. Ann. 14, 19. *ut par ingenio, ita morum diversus.* Quintil. VII. 1, 17. *sive sunt eiusdem generis sive diversi.* IX. 2, 105. *ut idem valeant, quae videantur esse diversa.* — Alia tamen exempla saepius inveniuntur. Cic. Brut. 90, 307. *Haec etsi videntur a proposita ratione diversa, tamen* — Quintil. V. 13, 23. VIII. 6, 36. XII. 10, 22. al. Cf. formulas orationem claudentes: *tantum in diversum* id. III. 7, 19. *vel ex diverso* IX. 3. 8. (nos: „*nur umgekehrt; oder umgekehrt*").

Quod adverbii, quod est diverse, hoc munere fungentis nulla exempla mihi praesto sunt, mea ipsius negligentia potest accidisse. Comparari licet Quintil. V. 13, 2. *proponitur enim uno modo, dissolvitur varie.*

11. Libentissime ad terminandas sententias palam descendit, consectante praesertim verbo, quod dicitur. Poetae quidem cum alii tum vero comici ita hac uti clausula consuerunt ut eadem etiam versuum inveniatur. Coram, quae quid cum illa particula nonnunquam certe conveniat, manifestum est (neque enim raro idem valet quod coram pluribus h. e. palam. cf. Hand. Turs. II. p. 130.), non ita saepe sententiam concludit. In quo prae caeteris mihi transitionis quoddam genus bipartitae notandum videtur esse in epistolis Ciceronianis adhibitum. Quod genus tale est, ut prima pars eademque et deflectens a re usque eo tractata et verbo carens ita alteri parti opponatur, ut coram (h. e. postea, cum convenerimus) et nunc particula inter se contingant. — Deinde contrariam vocibus duabus, quas attuli, notionem hae habent: clam, clanculum, secreto, obscure. Quarum una, quae est trisyllaba et propria comicorum, paulo saepius et eadem plerumque lege, qua palam, locum ultimum occupare solet, reliquae tres rarissime.

Tibull. IV. 5, 18. *Nam pudet haec illum dicere verba palam.* Plaut. Epid. III. 4, 88 *Sic mihi data esse verba praesenti palam* —! Terent. Phorm. I. 3, 17. *quod habes, ita ut voluisti, uxorem sine mala fama palam* Deinde verbo proximo: id. Adelph. III. 2, 30. *Neque id occulte fert, ab lenone ipsus eripuit palam.* Praecipue verbo faciendi: Heaut. IV. 3, 42. *quasi non ea potestas sit tua, quo velis in tempore ut te exsolvas, rem facias palam* Plaut. Asin. IV. 1, 52. *tu labellum abstergeas Potius quam quoiquam savium faciat palam.* Bacch. III. 1, 16. *De me culpam hanc demolibor iam et seni faciam palam.* Capt. III. 5, 69. *quod absque hoc esset, qui mihi hoc fecit palam* — Aul. II. 3, 9. *Nam probrum atque partitudo prope adest ut fiat palam.* — Amphit. III. 1, 16. *Post igitur demum faciam, res fiat palam.* — Terent. Hecyr. I. 2, 30. *nempe ea causa, ut ne id fiat palam.* Adelph. IV. 4, 13. *sed me reprehendi tamen. Ne quid de fratre garrulae illi dicerem ac fieret palam.*

Prosaicorum eiusmodi exempla non minus saepe inveniuntur: Cic. Verr. V. 36, 94. *tum quaerebatur ex ipso palam.* — Ac rursus verbo antecedente: ibd. V. 11, 28. *Itaque nonnullae ex eo numero in convivium adhibebantur palam: si quae castiores erant, lucem conventumque vitabant.* ibd. 66, 169. *quod omnibus audientibus dixisti palam.* — ibd. 60, 157. *necabat palam.* Pison 5, 11. *mitto enim domestica, quae negari possunt; haec commemoro, quae sunt palam.* p. Milon. 16, 42. *omnia, non modo quae reprehendi palam, sed etiam obscure quae cogitari possunt, timemus.* Quintil. IX. 2, 94. *obiiciant palam.* ibd. II. 5, 16. *corrigetur palam.* — Suet. Caes. 72. *professus est palam.* —

Suet. Claud. 34 init. *Tormenta quaestionum poenasque parricidarum repraesentabat exigebatque coram.* (cf. Bremi h l.) Ovid. Met. IX. 560. *Et damus amplexus et iungimus oscula coram* (h. e. aliis). — Horat. Sat. I. 6, 56. *ut veni coram, singultim pauca locutus* (h. e. in conspectum) Deinde in epistolis: Cic. Fam. XII. 14, 5. *Praeterea mihi promiserunt Pansa et Hirtius coram et absenti mihi scrip-*

Biblioteka ... Krakowie

*serunt.* — Ex quo eodem genere loci sunt, de quibus supra est disputatum: Fam X. 32, 3. *Sed de illo plura coram. Nunc, quod praestat, quid me velitis facere, constituite.* Attic. XV. 1. B. fin. *Sed haec coram. Nunc nec sine epistola nec cum inani epistola volui ad te Metrodorum venire.*

Ennius apud Lactant. I. 14, 7. *Deinde Titan, postquam rescivit Saturno filios procreatos atque educatos esse clam, seducit secum filios suos.* Terent. Adelph. I. 1, 46. *si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit.* Quint VII. 1, 30.

Plaut. Bacch. III. 1, 8. *Egone ut haec conclusa gestem clanculum?* simulque in versu exeunte: Mostell V. 1, 4. *Abii illa per angiportum ad hortum nostrum clanculum.* Quod idem animadvertitur in exemplis ab Handio Turs. II. 93. allatis: Menaechm. III. 2, 13. Terent. Phorm. V. 6, 33.

Cic. Catil. I. 4, 8. *Non agam obscure.*

cf. Plin. ep. III. 20 med. *Est enim periculum ne tacitis suffragiis impudentia irrepat. Nam quotocuique eadem honestatis cura secreto, quae palam!* Aptiora exempla non habeo.

12. Eadem ratio, quam adhuc secuti sumus, efficit etiam ut libenter et invitus, gratis et ingratis uno velut fasciculo videantur esse complectenda. Quae tamen saepius ultimam sententiarum sedem possidere dici non possunt. Adiicienda nimirum sunt lubens, gratiis, ingratiis, facie modo ab iis, quae attuli, diversa, quae quidem a comicis ita usurpantur ut eadem et sententiam et versum claudant. Addi etiam poterit ultro, non nimium discrepans notione a particula ea, quam primo loco posuimus. Consueta quidem haec clausula Quintiliano.

Cic. Part. Orat. 1, 1. *Otium autem primum est summum, deinde ista tua studia vel maximis occupationibus meis anteferrem libenter.* Nep. Chabr. 3, 4. *Neque vero solus ille aberat Athenis libenter, sed omnes fere principes fecerunt idem.* Quintil. XI. 3, 60. *Facimus tamen hoc libenter:*

Plaut. Bacch. I. 2, 41. *o barathrum, ubi es! ut ego te usurpem lubens!* ibd. II. 1, 1. *Herilis patria, salve, quam ego biennio, Postquam hinc in Ephesum abii, conspicio lubens!*

Cic. p. Ligar. 1, 2. *Itaque Q. Ligarius, cum diu recusans nihil profecisset, provinciam accepit invitus.* cf. Paradox. V. 1, 34. *Soli igitur hoc contingit sapienti ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus.* p. Plancio 40, 95. Quintil. IX. 4, 89.

Quintil. II. 2, 6. *Interrogantibus libenter respondeat, non interrogantes percontetur ultro.* V. 10, 111. *Has, quia erat usus commilitio Thessalorum, donavit his ultro.* VII 1, 59. *nec statim eo tendamus, quod occurrit ultro.* — XII. 8, 7. Paulo diversa notione particulam in fine positam vides Terent. Adelph. IV. 3, 3. *Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero, qui ita putant, sibi fieri iniuriam ultro, si quam fecere ipsi expostules.* cf. Stallb. h. l.

Cic. Verr. IV. 12, 29. *Ita ab se invito phaleras ablatas gratis.* ibd. III. 87, 200 *velle Siculos senatui polliceri frumentum in cellam gratis.* —

Plaut. Poen. IV. 2, 46. *Neque triobolum ullum amicae das et ductas gratiis.* Alia eiusmodi exempla Handius attulit Tursell. II. 755.

Ingratiis h. e. invito vel invitis, olim etiam apud bonae notae scriptores legebatur neque id in reliquis modo sententiae partibus sed etiam extremis. Cic. p. Quintio 14, 47. *Extorquendum est invito atque ingratiis* (quae fere eadem coniuncta vides Plaut. Casin II. 5, 7). Verr. IV. 9, 19. *reticebunt, quae poterunt, libenter, dicent, quae necesse erit, ingratiis.* Quo tamen utroque loco hodie exilior forma *ingratis* praeoptatur cf. Zumpt. ad Verr. l. c. Hand. Turs. III. 379 sqq. Longioris eiusque in exeunte sententia positae Plautina quidem permulta exempla inveniuntur: Menaechm. V. 8, 4. *tu clamabas deum fidem atque hominum omnium, quum ego accurro teque eripio, vi pugnando ingratiis* (h. e. invitis iis, qui te ferebant cf. Weise h. l.) Amph. I. 1, 218. *Non edepol volo profecto. — At pol profecto ingratiis* (h. e. invito te). Cissell. II. 3, 82. *Nunc mihi bonae necessum est esse ingratiis* (h. e. invitae), *quamquam ego nolo.* Curcul. I. 1, 6. Rud. III. 4, 67. all.

13 Ultimo loco paululum nobis a regula discedere liceat, ad quam supra in percensendis duodecim generibus oratio directa est. Non enim ea, quae notionum affinitate in unum constipentur, ut num ex adverbiorum an adiectivorum an alia aliqua eiusmodi provincia sumpta sint, nihil admodum nostra referre appareat, sed quae eadem contineantur ratione grammatica omniaque ad unum tale caput revocari necesse sit, in animo est accuratius hoc loco examinare. In quo tamen, unde profecti sumus, id hic etiam ut ubique tenendum erit, ut ostendamus, ex eo ipso gravitatem clausulae exsistere, quod notionum quandam oppositionem aut apertam aut

certe occultam nos spectare oporteat. Caput autem illud grammaticum, quod dixi, tale est, ut id attingere saltem ex partibus diversis iam supra coacti simus. Pronominum scilicet — haec enim intelligi volumus — nonnullorum quidem ea est notio, ut facile huic aut illi vocabulorum, quae a nobis enumerata sunt, ordini iure et merito adiungi potuerint. Quis est enim, qui non videat, ipse — alius, idem — alius, quisquam — nemo, aliquis — nullus similiaque ita inter sese esse contraria, ut, ubi de iis vocibus, quas secundo quoque loco posui, disputaretur, ibi etiam de pronominibus illis, quae dixi, apte disputari licuisse appareat? Extrudere tamen suo quodque ordine potius, ne, partim quidem facie exili, dissipata minus animos legentium ad sese adverterent, atque ut conferta certe quiddam valere viderentur, unum hoc et novissimum in agmen congregare maluimus. Iam ut diligentius ea perlustrare aggrediar, iterum iterumque occupare ultimam sententiarum sedem certa quaedam video, quae sunt personalia primum, deinde possessiva, tum ipse, idem, quisquam. Quod contra aliquis raro, quispiam, quidam, quilibet, quisque vix singulis illuc locis accedere audent. Exin hic et is saepe quidem sententiam terminant, ita tamen, ut pleraque eiusmodi exempla satius sit alio loco considerare (cf. Cap. III. 3), ubi etiam de reliquis pronominibus quaerendum erit.

a. Personalia et ita saepe claudendis sententiis inserviunt ut homo homini aut etiam res rei, hominis instar commemoratae, aperte opponatur, et ita ut talis oppositio non oculis sed mente modo percipienda sit. Quarum alterutra ratio cum ubique agnosci debeat, singulariter tamen animadvertenda videntur duo exemplorum genera, alterum eorum, in quibus apodosis, quam dicunt, pronomine finita reperiatur: est autem ea, quae protasi inserviat explicandae eiusque verbum, quod appellatur, repetitum contineat, quo de genere alio loco iam exposuimus (Lat. Still. p. 300); alterum eorum, in quibus per sese et ex sese formulae, quibus quidem minime negaverim adiici etiam posse similes, magno cum pondere pronominis duplicati ultimam sedem possessam teneant. Ne quid tamen subterfugere voluisse reticendo videamur, hoc addimus, non deesse locos eiusmodi, quorum clausula quid sibi velit pronominalis, videre non liceat. Quamquam notionum mutua vis et ratio si spectatur, facile concedimus aliam esse pronominum, aliam reliquarum orationis partium naturam nec omnia hac in re nostro sensu atque opinione esse metienda (cf. l. c. p. 424. 425).

Aperte personae inter se opponuntur: Terent. Hecyr. IV. 4, 53. *Ignarum censes tuarum lacrumarum esse me?* Hor. Sat. II. 3, 185. *Scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu.* (Quo utroque loco etiam versum pronomine clausum vides.) Cic. P. Plancio 19, 48. *Sic enim tecum ago. Quam tibi commodum est, unam tribum delige tu: doce, per quem sequestrem, quo divisore corrupta sit. Ego* — Liv. XXXII. 28, 8. *His orationibus pervicerunt, ut consules in senatus auctoritate fore dicerent se, si idem tribuni facerent.* Vellej. II. 11, 2. *effecit (Marius) ut belli paene patrati a Metello — summa committeretur sibi.* Plin. Paneg. 74, 3. *Quamvis enim faceremus, quae amantes solent, illi tamen, non amari se, credebant sibi.* (h. e. non nobis credebant, amari se, sed, non amari se, credebant sibi.)

Minus aperte: Cic. p. Plancio 10, 24. *non enim opibus — sed precibus aliquid attulimus etiam nos.* (h. e. non alii modo.)

Generum duorum, quae supra eximenda censuimus, exempla haec sunt: Cic. p. Plancio 9, 22. *Omnia, quae dico de Plancio, dico expertus in nobis* (h. e. in nobis ipsis, non aliis). Fam. VI. 6. f. *Apud quem quidquid valebo vel auctoritate vel gratia, valebo tibi.* Tusc. I. 22, 52. p. Rab. Post. 8, 21.

Deinde: Cic. Brut. 6, 25. *Quibus enim ex quinque rebus constare dicitur (eloquentia), earum unaquaeque est ars ipsa magna per sese.* p. Plancio 10, 25. *Nam omittam illud, quod ego pro eo laborabam, qui valebat ipse per sese* (h. e. ut aliis non egeret). Parad. II. 17. *nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese, quique in se uno ponit omnia.*

Contra nobis quaesita videtur vis esse pronomini tributa, quamquam aliquam certe personarum oppositionem cognosci licet Auct. ad. Herenn. IV. 51, 64 — 52, 65 — 55, 68 f. Ubi ut oppositio illa prope inanis est, ita prorsus nulla Cic. Tusc. I. 34, 82. *nobis.* p. Plancio 8, 21. *vobis.* p. Sestio 12, 28. *se.* Lael. 23, 87. *sui.* Nep. Arist. 2, 3. *sibi.*

b. Pronomina possessiva, quae sunt meus, tuus, suus, libentissime in terminandis sententiis adhibentur: nec nisi casu videtur factum esse, quod reliquorum duorum, quae sunt noster et vester, hunc usum exemplis demonstrare non possumus. Inveniuntur autem illa et absolute posita et vero etiam cum substantivis ratione grammatica copulata. Quod si est alterum, (esse autem plerumque videmus), ut auctum videatur pondus pronominis, a nomine suo praedicato, quod dicunt, inserto separatim collocari solet. Ceterum similiter de hoc genere et de superiore iudicandum est, incidere nos in locos nonnullos, ubi vis pronominis adeo reperiatur nulla, ut imprudenter ei scribentes ultimam sedem concessisse existimandi sint, non ratione illi quidem reliquarum sententiae partium habenda, sed consuetudine quadam ac paene dixerim mero errore inducti.

Absolute pronomen positum cernimus: Cic. Legg. II. 7, 17. *Quod quidem ego facerem, nisi plane esse vellem meus.* ibd. *Verum, ut modo tute dixisti, te esse malo tuum.* Off. I. 31, 113. *expendere oportebit, quid quisque habeat sui, — id enim maxime quemque decet, quod est cuiusque maxime suum* (h. e. non alienum) p. Marcell. 2, 6.

Verbo a nomine suo pronomen disiunctum invenimus: Nep. Attic. 21, 6 *Quare a vobis peto primum, ut consilium probetis meum, deinde* (cf. a vobis — meum). Liv. 40, 13 f. *si te metu mortis credebam coenam evitasse meam* (cf. te — meam). Cic. Tusc. V. 21, 61. *Visne igitur, Damocle, fortunam experiri meam?* (cf. tu — meam.) p. domo 4, 9. *eorum optimum consilium ego potissimum — consilio repudiarem meo?* (cf. eorum — meo.) cf. ad Quint. fr. I. 4, 4. Rep. II. 31. 55.

Off. I. 31, 111. *quam (aequabilitatem vitae) conservare non possis, si aliorum naturam imitans omittas tuam.* ad Attic VIII. 2, 4. *cum eadem lucerna hanc epistolam scripsissem, qua inflammaram tuam* (h. e hanc meam — tuam). Orat. II. 55, 225. Simulque in versu exeunte: Terent Hecyr. IV. 4, 65. *(uxorem) impulsu duxisti meo* — (v. 67). *Nunc animum rursum ad meretricem induxti tuum* (cf. duxisti meo — induxisti tuum). ibd. 61.

Cic. p. Deiot. 5, 14. *tuumque hostem esse duxit suum.* Off. I. 33, 121. Fin. I. 10, 35. p. Arch. 8, 19. Cat. M 5, 14. Alia ratio est exemplorum huiusmodi: Off. I. 35, 128. *illa autem, quae turpia sunt, nominibus appellemus suis* (h. e. propriis, non alienis). Orat. 15, 49 Minus multo gravis videtur esse notionum oppositio: Vellej. II. 130, 2. Nep. Alcib. 8, 1. Attic. 12, 2—2, 3. Dion. 8, 5. Cic. Orat. II. 1, 4. p. Milon. 27, 74. p. Arch. poet. 11, 27 et 29. Paradox. III. 2, 26. Liv. XXII. 12, 10.

Loci, ubi non proxime verbum antecedat, rarissimi sunt. Cic. d. opt. gen. orat. 7, 19. *Demosthenes curator muris reficiendis fuit eosque refecit pecunia sua.* Off. I. 32, 116. p. Milon. 13, 35. Topic. 7, 32. Senec. cons. ad Helv. 6, 3.

c. Non huc pertinet, quod vulgo dicitur pronomen demonstrativum, nisi quod eo transitionis bipartitae hic illic membrum primum idemque ellipticum conclusum invenimus. Neque is ita saepe cum maiore quadam vi tenere ultimum locum solet, nisi adnexo relativo, quo de usu alibi disputandum erit (cf. Cap. III. 3). Sunt tamen exempla nonnulla, ubi sine vi maiore hunc locum teneat, ut eius rei causa, si modo est ulla, aliunde sit repetenda.

Liv. XXXII. 34, 7. *Et Aetolis haec: Attalo autem Rhodiisque nihil iure debeo.* Tac. Ann. 11, 23. *Recentia haec: quid si memoria eorum inoriretur, qui —?*

Cic. Tusc. IV. 9, 22. *Omnium perturbationum fontem esse dicunt intemperantiam —; — et aegritudines et metus et reliquae perturbationes omnes gignuntur ex ea* (h. e. sola, non aliunde). Non minus gravis est clausula p. Plancio 9, 24 *Quis est igitur, qui neget, ordinis eius studium fuisse in honore Plancii singulare? Neque iniuria; vel quod erat pater is, qui est princeps iam diu publicanorum, vel quod* — Ubi admiratio inest in pronomine, cum idem valeat quod talis aut certe idem quod is ipse, non alius: verborum enim: *erat is, qui est,* nullam esse convenientiam apparet.

Apud historicos quidem passim enunciata occurrunt, in pronomen illud sic exeuntia, ut in eo ipso gravitatis nihil inesse constet. Quamquam eos idcirco ubique imprudentiae ut accusem tantum abest ut in eiusmodi clausula nonnunquam etiam numerus quidam agnoscendus esse videatur. Sallust. Catil. 52. 28. *Scilicet res ipsa aspera est, sed vos non timetis eam.* cf. Vellej. II. 56, 1. *eam.* Curt. V. 10 p 246. VI. 10. p. 39. *eum* Vellej II. 12, 3 et 111, 3. *eius.* Curt. VI. 4 p. 13 et 6 p. 21 f. *ab eo.* VI. 11 p. 40. *eorum.* Quibus in locis minime quidem omnibus, nonnullis certe tamen eadem illa ratio animadvertitur.

d. Deinde pronomen, quod est idem, cum ad subeundum hoc munus sententiae concludendae paratissimum videamus, non amplexari id tamen solet nisi aut ea forma indutum, quam modo attulimus, aut ea, quae est genitivi singularis. Atque in illo quidem genere exemplorum proximum clausulae locum tenere verbum consuevit, in hoc altero substantivum, quocum pronomen grammatica ratione copulatum sit. In quo prae caeteris dicendi formula commemoranda videtur esse, quae est generis eiusdem, ultimo loco addi solita in rerum enumeratione.

Nep. Chabr. 3, 4. *sed omnes fere principes fecere idem.* Cic. Off. I 10, 31. *Ea cum tempore commutantur, commutatur officium et non semper est idem.* Orat. 63, 213. *sed in orationis numero nihil est tam vitiosum quam si semper est idem.* Topic. 8, 34. Non praecedit verbum: Quintil. XII. 2, 21. *si quidem, ut nobis placet, futurus est vir civilis idem.*

Quintil III. 6, 30. *Neque interest, unum quis statum faciat an nullum, si omnes causae sunt conditionis eiusdem.* Cic. Topic. 3, 12 *Coniugata dicuntur, quae sunt ex verbis generis eiusdem.* Similiter in enumeratione, quam dixi: Quintil. V. 10, 34. *ira, odium, invidia — cetera generis eiusdem.* Cic. Topic. 15, 59. *ut locus, tempus, materiae, ferramenta et cetera generis eiusdem.* Nec dubitari potest quin rectissime scripserit Orellius: Off. I. 3, 7. *Superioris generis huiusmodi exempla sunt: omniane — ? numquid —? et quae sunt generis eiusdem.* ibd. 4, 11. *ut pastum, ut latibula, ut alia generis eiusdem.* Quo utroque loco sunt etiam qui inverso ordine *eiusdem generis* scribendum censuerint.

Alia exempla sunt rarissima. Liv. X. 9, 3. *Tertio ea (lex) tum post reges exactos lata est, semper a familia eadem.* Cic. Fam. I. 9, 19. *nam a me ipso laudantur et laudabuntur iidem.* ibd. §. 22. *His ego consiliis, si te praesentem habuissem, ut opinio mea fert, essem usus iisdem.*

e. Ipse pronomen cupidissime ad sententiarum quasi calcem decurrit, quamquam id, si accuratius intuemur, primum nominativi prae ceteris iique generis masculini facere solent, deinde ita solent ut illae sint secundariae. Quae tamen plurimis quidem locis non insertae primariis sed eas subsequentes reperiuntur.

Cic. Orat. III 37, 149. *Ergo utemur verbis aut iis, quae propria sunt et certa quasi vocabula rerum, paene una nata cum rebus ipsis: aut iis —* p. Deiot. 2, 6. *spectarem curiam, intuerer forum, caelum denique testarer ipsum.*

Multo pluribus locis pronomen absolute positum invenimus. Cic. p. Cluent. 21, 58. *cum hoc Respicite ornandae orationis causa saepe dixisset, respexit ipse* (cf. Quintil. VI. 3, 40). Tusc. I. 46, 111. *cunctari illum diutius in vita, fortunae obiectum, inutile putabat ipsi.* Quintil. VIII. 6, 32. *Deinde, tanquam consummata sint omnia, nihil generare audemus ipsi, cum —* Tac. Ann. 4. 6. *et in adulationem lapsos cohibebat ipse:*

Item absolute, sed saepius multo in sententia secundaria ponitur exeunte. Cic. ad Att. XV. I. B. fin. *Tu tamen velim orationem legas certioremque me facias, quid iudices ipse.*

Off. I. 41, 146. *non est incommodum — ex aliis iudicare, ut, si quid dedeceat in illis, vitemus ipsi.* ibd. III. 10, 45. *vas factus est alter, ut, si ille non revertisset, moriendum esset ipsi.* Quintil. VI. 2, 26. *Summa enim in hoc posita est, ut moveamur ipsi.*

Cic. Legg. II. 10, 26. *nam a patribus acceptos deos ita placet coli, si huic legi paruerint ipsi.* Quintil VI. 1, 26.

Cic. Orat. III. 48, 185. *quid est aliud causae, nisi quod hominum auribus vocem natura modulatur ipsa* (var. lect.).

Saepissime ita clauditur enunciatum relativum. Orat. I. 53, 227. *quam orationem in Originibus suis exposuit ipse.* II. 7, 30. *Nam et apud eos dicimus, qui nesciunt, et ea dicimus, quae nescimus ipsi.* III. 37, 149. *Ergo utemur verbis aut iis — aut iis — aut iis, quae novamus et facimus ipsi.* Divin. I. 22, 43. *Cuiusnam modi est Superbi Tarquinii somnium, de quo in Bruto Attii loquitur ipse?* Liv. XXXVIII. 56. *quam (statuam) tempestate disiectam vidimus ipsi.*

Non minus saepe eiusmodi enuntiatum reliquae orationi insertum invenitur. Cic. Rep. I. 46, 70. *quoniam ea, quae tenebatis ipsi, etiam ex me audire voluistis.* Divin. I. 1, 2. *quibus nationibus praefuimus ipsi, —* Part. Orat. 38, 132. *qua nitetur ipse, — quamque defendet ipse, —* Liv. V. 33, 3. *cui tutor is fuerat ipse, —* Plin. Paneg. 57, 2. *quem dederat ipse, —* Rarius id ita fit, ut non praecedat proxime praedicatum. Cic. Fam. I. 7, 11. *cum ceteris artibus, quibus studuisti semper ipse, tum —*

Similes sunt loci, ubi sententiam pronomine illo finitam a particula quemadmodum vel, id quod saepius fit, ab ut particula incipientem inveniamus. Cic. p. Muren. 24, 49. *inflatum collegae mei,*

*quemadmodam dicebat* *ipse*, *promissis.* Itemque Philipp. II. 29, 71. *ut dicebas ipse*, — (al. l.) Orat. II. 3, 10. *ut ille pater eloquentiae de se Isocrates scripsit ipse*, — Acad. I. 4, 13. *magnus vir, ut tu existimas ipse*, — Curt. IV. 6 p. 178. *denunciato in illum diem periculo, ut arbitrabatur ipse, defunctus.*

Rarius sententia secundaria et eodem hoc modo inserta et alia aliqua coniunctione inducta invenitur. Cic. Fam. XIII. 10, 1. *sed cum sibi ita persuasisset ipse*, — cf. Rep. I. 34, 51. — Quintil. VI. 1, 26. — *si ea dicerent ipsi*, —

f. Pronominis, quod est quisquam, quamvis libenter sententiae claudendae se offerat, primum tamen, ab hac nominativi forma si discedatur, duas modo, quae sunt quemquam et quidquam, muneri illi aptas haberi solitas intelligimus, deinde ne eae quidem facile admitti consuerunt nisi verbo antecedente. Separatim videnter eiusmodi loci esse colligendi, qui aut similes sint illis, de quibus supra Cap. II. 1. a. extr. disputavimus, aut quibus interrogationem rhetoricam, quae dicitur, contineri videamus.

Cic. Tusc. II. 13, 32. *Te vero ita affectum ne virum quidem dixerit quisquam.* Pison. 1, 2. *Noti erant illi mortui, te vivum nondum noverat quisquam.* Fam. II. 17, 4. *nec tacturus est quisquam.* Liv. X. 9, 6. *nunc vix serio ita minetur quisquam.* Nep. Them. 2, 4. *cum tantis copiis, quantas neque ante te neque postea habuit quisquam.*

Cic. Fam. II. 3, 2. *Illud cognosces profecto, mihi te neque cariorem neque iucundiorem esse quemquam* Auct. b. Hisp. 18. *neque licere castris Cn. Pompeii nuntiari neque dici, perisse quemquam.*

Liv. XXV. 28, 4. *neve alteri proprie sibi paciscerentur quidquam* XXXII. 37, 5. *cum mandatum sibi de his nominatim negarent quidquam.*

Rarissime pronomen illud alia aliqua forma concludit sententiam. Cic. Fam. X. 1, 1. *cuius tanta est immanitas, non modo ut vocem sed ne vultum quidem liberum possit ferre cuiusquam.*

Nec multo saepius quisquam, quemquam, quidquam hoc loco inveniuntur, verbo non antecedente. Caes. b. Gall. 7, 62. *nec dabat suspicionem fugae quisquam.* Cic. ad Attic VIII. 2, 3. — Plaut. Rud. II. 3, 75. *neque digniorem censeo vidisse anum me quemquam.* Quo loco ultimo pronomen ad substantivum generis feminini relatum animadvertimus.

Duorum generum, quae supra separatim dixi intuenda, exempla haec sunt: Cic. Fam. II. 17, 4. *de praeda mea praeter quaestores urbanos teruncium nec attigit nec tacturus est quisquam* (h. e. ne unum quidem teruncium aut — aut).

Tusc. II. 13, 31. *An temperantia sinet te immoderate facere quidquam?* et verbo omisso, qua re sententiae vis et vero etiam clausulae aucta videatur: ad Attic. XIII. 2, 3. *Hoc miserius, hoc turpius quidquam?*

g. Aliquis huic rei inservit rarissime. Quod si ita fit, ut sit cum substantivo aliquo, quod antecedat, artius copulandum, ut paulo maior exsistat vis pronominis, verbo solet ab illo separari. In formula quidem Dicet aliquis similibusque in occupatione adhibitis parvum esse clausulae pondus apparet, nullum tamen esse non facile concesserim. Ceterum etiam quispiam pronomen in eiusmodi formulis locum habere notum est: praeterea claudi eo sententia rarissime solet.

Vellej. II. 126, 4. *Poena in malos sera, sed aliqua* (h. e. sed nulla certe existimanda non est). Cic. Cat. M. 3, 8. *Est istuc quidem, Laeli, aliquid; sed nequaqum in isto omnia* (h. e. nihil esse non dico). Ubi vocativus insertus nonnihil conferre videtur ad vim clausulae augendam. Off. I. 5, 14. *Sed omne, quod est honestum, id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim — aut — aut — aut* — Tusc. I. 49, 119. f. *Sed nunc quidem valetudini tribuamus aliquid.*

Verr. V. 5. 14. *Furtum fortasse aut praedam exspectatis aliquam.* Auct. ad Herenn. III. 24, 40. *Non enim, sicut a ceteris studiis abducimur nonnunquam occupatione, ita ab hac re nos potest causa deducere aliqua.*

Occupationis formulae, quam commemoravi, exempla Seyffertus affert Schol. lat. p 132. Addi licebit: Cic. p. Coelio 17, 30. (cf. Quintil. IX. 2. 14.) Sallust. Iug. 31, 18. Senec. cons. ad Helv. 2, 2. Lactant. I. 8, 7. Similes sunt illae: *Sed dicet aliquis*, Lactant. Epitom. 11, 1. *Dicat aliquis*, Quintil. IX. 2. 37. *Dicat fortassis aliquis*, Plin. H. N. 36, 2. *Dicat fortasse aliquis*, Lactant. I. 3, 14. IV. 26, 29. *Occurrat mihi forsan aliquis*, Quintil. I. 5, 6. *Quaeret aliquis*, Auct. ad Herenn. IV. 9, 13. (cf. Cic. Verr. V. 70, 180)

Alterius pronominis usus eiusdem exempla idem ille vir doctus attulit l. c. p. 133. Ex alio genere hoc est: Cic. Orat. 33, 114. *haec proprie attingunt eos ipsos, qui arguuntur, ut telum, ut vestigium, ut cruor, — — ut scriptum aut obsignatum aut depositum quidpiam.* cf. Off. I. 14, 42.

h. Postremo comprehendantur haec: quisque, quilibet, quivis quodque iis quodammodo contrarium haberi possit, quidam (h. e. certus quidam): ex quibus reliquorum in extrema sententia positorum exempla cum omnium raro deprehendantur, pronominis, quod est quivis, dubium est adeo, num reperiatur ullum. Non veremur tamen id addere similibus, cum adverbii quovis exemplum habeamus.

Pronominum illorum inter se contrarias duci licere notiones, ex locis nonnullis apparet, qualis hic est: Cic. Fin. III. 7, 24. *ut histrioni actio, saltatori motus, non quivis sed certus quidam est datus, sic vita agenda est certo genere quodam, non quolibet.*

Exempla, quae huc pertineant, haec praesto sunt: p. Plancio 4, 11. *Est enim haec conditio liberorum populorum praecipueque huius principis populi — posse suffragiis vel dare vel detrahere, quod velit, cuique.*

Divin. II. 34, 71. *Hic apud maiores nostros adhibebatur peritus, nunc quilibet.* cf. Liv. VI. 40. *Si Claudiae familiae non sim nec ex patricio sanguine ortus, sed unus Quiritium quilibet,* —

Plaut. Mostell. 13, 41. *Qui parasitus sum? — Ego enim dicam: Cibo perduci poteris quovis.* Quae eadem etiam versus est clausula.

Cic. Orat. 13, 41. *Inest enim natura philosophia in huius viri mente quaedam* (h. e. non quaevis, non vulgaris, sed certa quaedam h. e. eximia), ubi pronominis a nomine suo disiunctio dedita opera facta videatur.

## Caput III.

Iam ad tertium clausulae rhetoricae genus accedimus, ita comparatum, ut minus ad suam per se vim et gravitatem quam ad ea, quae proxime subsequantur, animos legentium adverti velit. (cf. Exord.)

Cadit igitur quodammodo in hanc clausulam, quod Quintilianus monuit de prooemio exeunte: IV. I. 76. *Id debebit in principio* (h. e. prooemio) *postremum esse, cui commodissime iungi initium consequentium poterit.*

1. Ac primum quidem huc pertinent comparativi et suam concludentes sententiam et eam, quae sequatur, nisi id audacius dictum videtur, inducentes. Quamquam ex formulis, quae hoc modo oriantur, una sola, quae est potius quam, saepius invenitur. Nam — ***magis quam*** —, — ***plus quam*** —, — ***verius quam*** —, similesque quamvis saepe repereris, notionibus modo duabus, non sententiis conferendis connectendisque eas inservire videbis. Comparari tamen cum ea, quam prae caeteris huc referendam esse diximus, illam licebit, quae est — secus quam —

Cic. Off. III. 6, 30. *suum cuique incommodum ferendam est potius quam de alterius commodis detrahendum.* Catil. III. 2, 3. *Moveor his rebus omnibus sed in eam partem ut salvi sint nobiscum omnes, etiamsi vis aliqua me oppresserit, potius quam et illi et nos una reipublicae peste pereamus* p. Cluent. 64, 178. Liv. XXV. 37, 10. XXXII. 21, 16. Tac. Ann. 14, 21.

Non minus huc pertinent exempla: Liv. XXIV. 3, 12. *Morituros se affirmabant citius quam immixti Bruttiis, in alienos mores, ritus legesque et mox linguam verterentur.*

Cic. d. opt. gen. orat. 7, 19. *cum esset lex Athenis, ne quis populi scitum faceret, ut quisquam corona donaretur in magistratu prius quam rationes retulisset.*

Referri etiam huc possunt ii loci, ubi secundam 'sententiam reperiamus ellipticam. Cic. ad Attic. II. 1, 8. *Nam Catonem nostrum non tu amas plus quam ego.* Verr. II. I., 58, 153. — *magis quam* — p. Planc. 4. 10. — *saepius quam.* —

Quodcontra inepti videntur loci huiusmodi: Liv. VII. 31, 2. *arma deos prius quam homines violatura* cf. ibd. XXV. 33. 5. *facilius quam* Tac. Agric. 3. — Liv. III. 47, 4. *verius quam* id. IX. 17, 16. XL. 27. Cic. Off. II. 8, 27. *iustius quam* Liv. XXVI. 31, 8. *plus quam* Cic. de prov. cons. 10, 21. Phi-

lipp. XIII. 4, 8. Quomodo nulla dicendi formula saepius invenitur usurpata quam *magis quam* cf. Liv. XXV. 15, 12—34, 9. XXXI. 7, 9. XXXVII. 54 XXXVIII. 23. Cic. Orat. I. 49, 214. II. 22, 93. Justin. I. 10. II. 1. al. — Eiusmodi igitur loci alieni sunt, quamquam ex iis quoque nonnulli tales inveniuntur ut admirationem quandam moveant legentibus cf. ad Fam. IX. 13, 3. *homines miseros et fortuna, quam vitare nemo potest, magis quam culpa calamitosos.* Demonstrant autem haec et similia exempla evidenter, velut attractum esse comparativum quam particula, ut firmae et stabiles dicendi formulae exsisterent. cf. *non — non magis quam* — Quintil. II. 8, 15. *Neque — non plus quam* — Cic. Off. III. 33, 118. similiaque. Confer etiam locos eiusmodi, ubi comparativus, in prima iam parte sententiae positus, quasi ante particulam illam deesse non possit, in extrema rursus repetatur. Liv XXXII. 21, 16. *An tibi potius credamus — — potius quam res ipsas intueamur?* Xenoph. Anab IV. 6, 11. *πολὺ οὖν κρεῖττον τοῦ ἐρήμου ὄρους κλέψαι τι πειρᾶσθαι λαθόντας — μᾶλλον ἢ — μάχεσθαι.*

Formulae, quam supra ultimo loco commemoravimus, exemplum hoc est: Cic. ad Attic. VI. 2, 2. *Mihi autem erit maximae curae, ne quid fiat secus quam volumus quamque oportet.*

2. Eundem locum eademque de causa tenent particulae demonstrativae sic, tum, tam. Etsi tertiam hanc timide addimus, si quidem a plerisque hodie editoribus in connectendis duabus sententiis, non iam ut formula existat tam quam, sed tanquam, ut particulae duae in unam coalescant, scribi consuevit.

a. Cic. Fin. I. 9, 29. *Idque instituit docere sic: Omne animal* — ibd. III. 8, 27. *Concluduntur igitur eorum argumenta sic: Quod est bonum, omne laudabile est* —

Saepe ita *exempla* inducuntur, quamquam, quae est totius orationis conformatio, non facile alium particula locum occupare potuit. Cic. Orat. 18, 62. In quo genere locorum, ut hoc in transcursu moneam, offendit nonnunquam *ut* particula demonstrativae adiecta. cf. ibd. 19, 66. *De honestate sic: ut, Honestumne sit pro amico periculum subire? De utilitate autem sic: ut, Sitne utile —? De aequitate vero sic: ut, Sitne aequum —?* Ubi *ut* idem valet quod: *ut, si quaeratur.*

Magis consulto in ultimum locum detrusa videtur esse particula, si eam *ut* sequitur consecutionem significans: Cic. Orat. II. 72, 294. *confiteor me — consistere in meo praesidio sic, ut — capiendi loci causa cessisse videar.*

b. Tum, cum unam formulam efficiunt Cic. p. Sestio 26, 56. *reducti exsules Byzantium condemnati tum, cum indemnati cives e civitate eiiciebantur* (h. e. eo ipso tempore, quo). Sunt quidem loci, ubi tum, qua in sede collocaretur, alia et extrema non erat, nihilo tamen minus omni carere gravitate particula ne ita quidem dici poterit. Tusc. V. 40, 116. *In surditate vero quidnam est mali? — At vocem citharoedi non audiunt: ne stridorem quidem serrae tum, cum acuitur.* cf. Verr. V. 24, 60. Philipp. II. 39, 100.

c. Tam, quam, si quaeris, scribi oportuit Tac. Agric. 32. *deserent illos ceteri Germani tam, quam nuper Usipii reliquerunt.* cf. Walth. h. l. Solet tamen in comparandis copulandisque sententiis duabus tanquam scribi aeque et in duabus notionibus cf. Cic p Sest. 56, 120. *summus artifex et mehercule semper partium in republica tanquam in scena optimarum.* Auct. ad Herenn. IV. 29, 41. al. Quamquam loco illo Ciceroniano in editione Halmiana legitur *tam quam.*

3. Non alia est ratio pronominum hic, is, iste, ad ea, quae proxime sequantur, animum legentis intendentium. Ille, quod simili est natura, respuere hoc munus videtur.

a. Pronominis demonstrativi, quod proprie dicitur, usus hic satis est vulgaris. Caes. b. Gall. 2, 6. *Gallorum eadem atque Belgarum oppugnatio est haec* („folgende"): *Ubi, circumiecta multitudine hominum totis moenibus, undique lapides in murum iaci coepti sunt* —

Saepe ita ea, quae quis dicat aut dixerit aut possit potueritve dicere, inducuntur. Cic. Verr. V. 52, 136. *Ipse pater si iudicaret, per deos immortales! quid facere posset, cum diceret tibi haec: „Tu — remisisti* — cf. Zumpt h. l. p. 953. Plin. Paneg. 74 init. *Sed cum multa illo die dicta sunt sapienter et graviter, tum vel imprimis hoc: „Crede nobis, crede tibi."*

Fit etiam pronomine in fine sententiae collocato ut animus intendatur ad enumerationem aliquam statim addendam cf. Liv. XXXII. 27, 7. *Praetores illo anno primum creati sex, crescentibus iam*

*provinciis — Creati autem hi: L. Manlius Vulso, C. Sempronius Tuditanus* — Quo in exemplo quod pronominis haec collocatio quadam necessitate adducta videtur, nihil refert.

b. Ex ultimo hoc genere exemplorum est etiam illud: Cic. p. Plancio 12, 30. *Hunc tu vitae splendorem maculis adspergis istis: locis adulteria — Bimaritum appellas* — — Quamquam istis h. l. non plane idem significat quod his, sed idem quod his tam contumeliosis. — Alia huius pronominis exempla ad terminandam sententiam adhibiti non habemus.

c. is qui esse formulam quandam innumerabilibus locis demonstratur. Cic. Off. I. 3, 9. *Nam honestumne factu sit an turpe dubitant id, quod in deliberationem cadit.* al.

Trita sunt etiam eiusmodi exempla: Cic. Cat. M. 5, 14. *quod non faciebat is, cuius modo mentionem feci, Ennius:* Tusc. I. 20, 45. *per quas penetravit ea, quae est nominata Argo.*

Quod contra excludenda videntur ea, in quibus is qui formula sit illa quidem, sed quae ad explendam modo sententiam, quae antecesserit, adiuncta videatur (cf. eum intelligi volo, qui). Cic. Verr. IV. 25, 56. *Filius enim L. Pisonis erat, eius qui primus de pecuniis repetundis legem tulit.* Qui usus hoc habet mirabile, ut nonnunquam, plane neglecta sententiae primariae ratione, pronomen demonstrativum se totum dedat relativo eiusque ad formam se prorsus accommodet. Cic. Orat. II. 12, 52. *res omnes singulorum annorum mandabat literis pontifex maximus referebatque in album et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi; ii, qui etiam nunc annales maximi nominantur.* Saepissime ita subiungi illud sub relativi pronominis ditionem solet, si sententia hoc inducta graecum aliquod exhibet vocabulum et in re, quae tractatur a scribentibus, sollemne et latino, quod in primaria commemoratum sit sententia, ita respondens ut ei explicando inserviat. Divin. II. 53, 108. *Sed demus tibi istas duas sumptiones, ea quae λήμματα appellant dialectici.* cf. Orat. I. 45, 198. Tusc. IV. 8, 18. — Divin. II. 54, 111 *). Facile est videre, in eiusmodi locis pronomen demonstrativum non iam primariae, imo, quamvis id primo adspectu ineptum existumes, secundariae partem aut esse aut certe Ciceronem haberi velle.

Ullum num reperiatur exemplum, quo pronominis, quod est ille, is usus, de quo disputamus, demonstrari possit, magna est quaestio. Nam quae leguntur Cic. p. Cluent. 9, 26. *Sassiam in matrimonium ducere, Aviti matrem, illam, cuius virum A. Aurium occiderat, concupivit*, ne ita quidem huc pertinerent, si commutato paululum verborum ordine talia quaedam scripta invenirentur: *Sassiam — matrem concupivit, illam cuius —*

4. Similiter iudicandum erit de pronominibus interrogativis sententiam claudentibus, sive additis iis, quae respondenda sint, sive non additis. Nam illius etiam generis, si quaerimus, vis et natura est rhetorica. Idem cadit in cur particulam in ultima sententiae sede collocatam.

a. Additur responsum, ad quod pronominali hac clausula intendere iubemur Hor. Epist. II. 2, 99. *Discedo Alcaeus puncto illius; ille meo quis? Quis, nisi Callimachus?* ubi quid sibi velit interrogatio, praesertim insolito hoc modo formata, nemo non videt. cf. Schmid h. l. Ibd. I. 16, 39. *Falsus honor iuvat et mendax infamia terret quem, nisi mendosum et mendacem? Vir bonus est quis? qui consulta patrum, qui leges iuraque servat;* ubi sententiae ipsae si spectantur, scribi etiam licuit: *neminem nisi* et *nemo nisi* sive *is qui*, Similiter Cicero: Divin. II. 38, 80. *Quomodo autem haec aut quando aut a quibus inventa dicemus? Etrusci tamen habent exaratum puerum auctorem disciplinae suae. Nos quem? Attiumne Navium? At aliquot annis antiquior Romulus et Remus, ambo augures, ut accepimus* (h. e. Nos neminem. Nam Attius Navius esse non potest, cum Romulum et Remum iam augures fuisse acceperimus).

Deinde quaeritur ita, ut eorum, quae respondeantur, maxime intendi videatur exspectatio, non adduntur autem illa, cum, quae sint respondenda, per se appareat. Cic. Off. I. 39, 140. *Studiose enim plerique facta principum* (h. e. quae sunt mali exempli) *imitantur, ut L. Luculli, summi viri, virtutem quis? at quam multi villarum magnificentiam imitati sunt!* (h. e. virtutem nemo) cf. p. Rabir. 8, 22. — Ceterum quod duobus his locis Ciceronianis, quos exscripsi, aliis ille causis ponere ibi, ubi posuit, pronomen quodammodo est coactus, nihil admodum refert. Non enim eo aut minor habenda est vis aut alia ratio pronominis licuitque facile Ciceroni universae formam orationis evitare.

---

*) Comparari licet Quintil I. 10, 39. *Fit hoc et in numeris per quasdam, quas ψευδογραφίας vocant;* ubi tamen Spaldingius iure censet scribi oportere: *per quasdam ψευδογρ. quas vocant.*

Aliena tamen sunt exempla huiusmodi: Cic. Verr. II. II. 43, 106. *Videte porro aliam amentiam. Cognitorem adscribit Sthenio — quem? cognatum aliquem aut propinquum? Non. Thermitanum aliquem — ? Ne id quidem. At Siculum? Neminem. Quid igitur? Civem Romanum.* ibd. II. I. 54, 141. *Quid ageret, coepit cogitare: si opus pupillo redimeretur —, sibi nullam praedam esse. Itaque excogitat — quid? Nihil ingeniose —.* Ubi Cicero ita incipit sententiam, quasi rem recta via narraturus sit, deinde, cum ultimam illius partem sine circuitione et anfractu additum iri exspectes, ut quam ea gravis sit atque etiam inaudita ostendat, repente interrogando quasi aenigma proponit audientibus (nos: „— *nun rathet einmal wen?* —, *nun rathet einmal was!*" Horum igitur similiumque locorum aliam esse rationem et illorum, quos supra attulimus, non difficile est ad intelligendum.

b. Cur particulae ita sententiam concludentis, ut legentium animi maxime intendantur ad responsum statim addendum, quod tamen num revera addatur an omittatur nihil referat, Heindorfius exempla affert ad Hor. Sat. I. 2, 111. Ex illo genere est Hor. Sat. II. 3, 187. *Ne quis humasse velit Aiacem, Atrida, vetas cur? Rex sum.* Ex hoc: Sat. II. 7, 104. *Obsequium ventris mihi perniciosius est cur? Tergo plector enim: qui tu impunitior?*

5. Ut ad adiectiva transeamus idcirco sedem ultimam occupantia, ut ad ea, quae subsequantur, commodius nos quasi transducant, **tantus** et **talis** rarissime hoc munere funguntur. Num deinde ullus sit locus, ubi **tot** ita positum reperiatur, quaestio est (cf. Cap. II. 5): quamquam, ut hoc addam, **totiens** adverbii usus iste animadvertitur. De adiectivo, quod est **duplex**, satius erit infra (§. 6) disputare.

Cic. Philipp. VI. 7, 18. *Multas magnasque habui consul conciones, multis interfui: nullam unquam vidi tantam, quanta nunc vestrum est.*

Tusc. V. 32, 91. *iis apposuit tantum, quod satis esset, nullo apparatu.*

Senec. N. Quaest. III. 24, 1. *quare quaedam aquae caleant, quaedam etiam ferveant in tantum, ut non possint esse usui.*

Vides his locis *tantam quanta, tantum quod, in tantum ut* quasi in formulas coaluisse. Similiter *talis qualem* comprehendenda sunt: Cic. p. Muren. 14, 32. *Quo (bello) ille cum esset, ut ego mihi statuo, talis, qualem se esse video, nunquam cum Scipione esset profectus, si —*

Num **totiens, quotiens** eo, quo intelligi volumus, modo coniunctim posita inveniantur, ignoramus. Confer tamen Liv. II. 13 init. *adeo moverat eum et primi periculi casus — et subeunda dimicatio totiens, quot coniurati superessent, ut pacis conditiones ultro ferret Romanis* *).

6. **Numeralia**, quae dicuntur, saepe hunc locum tenent, ut, quas partes habeant quodammodo comprehensas, singulae continuo accuratius enumerentur. Quarum quidem si rationem intuemur grammaticam, aut appositionis instar numerali additas videmus aut ita adiunctas ut includantur enuntiatis. Sunt autem ea aut relativa aut disiunctiva eademque particula causali cum iis, quae proxime antecedunt, contexta. (*Nam aut — aut —, Nam et — et —, Aut enim — aut —*) Ceterum sola huc pertinent cardinalia, quae appellantur. Quibus tamen **duplex** adiectivum addi licebit.

Nep Them. 10, 3. *Huius ad nostram memoriam monumenta manserunt duo, sepulcrum prope oppidum, in quo est sepultus, statuae in foro Magnesiae* (h. e. **duo haec**). Cic. Orat. Part. 18, 62. *cuius generis sunt duo, cognitionis alterum, alterum actionis.* Orat. 24, 80.

Tusc. II. 21, 47. *Est enim animus in partes tributus duas, quarum altera rationis est particeps, altera expers* Caes. b. Gall. I, 1. *divisa in partes tris, quarum —* Cic. Off. I. 43, 152. *Nam cum omnis honestas manet a partibus quatuor, quarum una sit cognitionis —, altera —, tertia —, quarta —*

Part. Orat. 16, 56. *quorum sunt genera ad amplificandum tria. Nam aut caritate moventur homines — aut amore — aut honestate.* cf. Off I. 27, 96. Part. Orat. 22, 76. infra exscribenda.

---

*) Inverso ordine hae inter se notiones respondent: Cic. p. Balbo 20, 47. *si tot consulibus meruisset, quoties ipse consul fuisset;* ubi, si diligentius ille concinnitatem orationis spectandam esse censuisset, facile ei tali quodam modo scribere licuit: quot ipse gessit consulatus.

Aliter constitutus hic locus est: Part. Orat. 18, 62. *Rursus superioris genera sunt* ***tria:*** *sit necne: quid sit: quale sit.* Comparari etiam possunt loci huiusmodi: Cic. in Vatin. 7, 16. *Tribunus plebis fuisti, collegas habuisti* ***novem.*** *Ex his tres erant — Reliqui sex fuerunt.* — Aliis modo eo quod interrupta est oratio, quominus numerali partes, quas contineat, proxime adiungantur, prohibitum, ut Caes. b. Gall. 6, 13. *In omni Gallia eorum hominum, qui aliquo sunt numero atque honore, genera sunt* ***duo****: nam plebes paene servorum habetur loco — — Sed de his duobus generibus alterum est Druidum, alterum equitum.* Ubi ***sed*** particula rursus contextam vides orationem, quam, si quaerimus, sic institui oportuit: *genera sunt duo, alterum Druidum, alterum equitum*

Cic. Orat. 24, 80. *Ornatus autem verborum* ***duplex:*** *unus simplicium, alter collocatorum.* Off. I. 27, 96. *Est autem eius descriptio* ***duplex.*** *Nam et generale quoddam decorum intelligimus et aliud huic subiectum* — Part. Orat. 22, 76. *Est igitur vis virtutis* ***duplex:*** *aut enim scientia cernitur aut actione.*

7. Addendi denique imperativi videntur, qui sunt **cognoscite, videte, attendite,** qui quidem apud Ciceronem saepissime inserviunt rei quodammodo inducendae, quae statim accuratius explicanda sit. Quae clausula quod eadem grammatica est primum, deinde nonnunquam ea, ut necessitate quadam adducta esse videatur, nihil haec conferunt ad eius rhetoricam, quam dixi, gravitatem aut obscurandam aut debilitandam.

a. Cic. p. Caelio 26, 63. *Sed quid ego de dignitate istorum testium loquor? Virtutem eorum diligentiamque* ***cognoscite.*** *In balneis delituerunt* — p. Flacco 23, 55. *Itaque civitatis pudentis et gravis iustum dolorem querelasque* ***cognoscite.*** — Philipp. II. 32. 80. *In quo primum incredibilem stupiditatem hominis* ***cognoscite.*** — ibd. 33, 84. *sed arrogantiam hominis insolentiamque* ***cognoscite.*** — ibd. 22, 55. *cuius tamen scelus in scelere* ***cognoscite.*** — Verr. II. I. 16, 43. *Quamobrem — legationem eius praeclaram* ***cognoscite.*** *Posteaquam Cn Dolabellae provincia Cilicia constituta est* — ibd. II. III. 33, 77. *Eandem istius, qui se regem Siculorum esse ducebat, licentiam libidinemque fuisse* ***cognoscite*** *Aeschrionis Syracusani uxor est Pippa* — ibd. II. I. 40, 104. *Qui principio qualis in edicto constituendo fuerit,* ***cognoscite.*** *P. Annius Asellus mortuus est C. Sacerdote praetore* — p. Cluent. 15, 45. *Itaque — qua ratione Avitum veneno tollere conatus sit,* ***cognoscite.*** *C. et L. Fabricii fratres gemini fuerant* — ibd. 23, 64. *Quare etsi —, tamen de illo ipso separatim* ***cognoscite.*** —

Peculiare quoddam genus exemplorum addimus: Cic. p. Flacco 19. 46. *Atque, ut eius impudentiam perspicere possitis, causam ipsam, quae levissimi hominis animum in Flaccum incitavit,* ***quaeso, cognoscite.*** *Fundum Cymaeum Romae mercatus est de pupillo.* — Verr. III. 20, 53. *genera ipsa iniuriarum,* ***quaeso, cognoscite.*** *Nympho est Centuripinus* — ibd. I. 6, 16. *Sed prius, ut ab initio res ab eo constituta sit,* ***quaeso, cognoscite.*** *Ut primum e provincia rediit* — p. Flacco 9, 20. *Quam vero facile falsas rationes inferre et in tabulas, quodcunque commodum est, referre soleant, ex Cn. Pompeii literis,* ***quaeso, cognoscite.*** *Literae Pompeii.* — Similiter verbis disiunctis: de leg. agr. II. 28. 75. *Ut vero totam Italiam suis praesidiis occupare cogitet,* ***quaeso,*** *Quirites,* ***cognoscite.*** *Permittit decemviris* —

*b.* Cic. Philipp. II. 12, 30. *Sed stuporem hominis vel dicam pecudis* ***attendite.*** *Sic enim dixit:* — p. Sulla 5, 14. *Et quoniam de criminibus superioris coniurationis Hortensium diligenter audistis, de hac coniuratione, quae me consule facta est, hoc primum* ***attendite.*** *Multa, cum essem consul,* — Verr. I. 9, 26. *qui quam isti sit amicus,* ***attendite.*** *Dedit enim* — ibd. II. I. 16. 43 — V. 17, 42. *Haec dum breviter expono, quaeso, ut fecistis adhuc, diligenter* ***attendite.*** *Rem navalem primum ita dico administratam.*

*c.* p. Sestio 12, 28. *Si dixisset hoc solum, omni supplicio esset dignus. Quid fecerit,* ***videte.*** *L. Lamiam in concione relegavit edixitque ut* — Philipp. XI. 9, 21. *Dicam, cur inutile reipublicae: sed prius quam turpe consulibus sit,* ***videte.*** —

*d.* Rarius hoc munus alii imperativi suscipiunt. Philipp. II. 12, 28. *At quemadmodum me coarguerit homo acutus,* ***recordamini.*** *Caesare interfecto, inquit, statim cruentum alte extollens M. Brutus pugionem, Ciceronem nominatim exclamavit.* —

Formulae, quae sunt ***sic collige:*** Hor. Epist. II. 1, 119. ***sic habe:*** Plin. Epist. VII. 17, 8 ad clausulam ampliorem referendae sunt.

Aliter constitutus hic locus est: Part. Orat 18, 62. *Rursus superioris genera sunt* ***tria****: sit necne: quid sit: quale sit.* Comparari etiam possunt loci huiusmodi: Cic. in Vatin. 7, 16. *Tribunus plebis fuisti, collegas habuisti* ***novem****. Ex his tres erant — Reliqui sex fuerunt.* — Aliis modo eo quod interrupta est oratio, quominus numerali partes, quas contineat, proxime adiungantur, prohibitum, ut Caes. b. Gall. 6, 13. *In omni Gallia eorum hominum, qui aliquo sunt numero atque honore, genera sunt* ***duo****: nam plebes paene servorum habetur loco — — Sed de his duobus generibus alterum est Druidum, alterum equitum.* Ubi ***sed*** particula rursus contextam vides orationem, quam, si quaerimus, sic institui oportuit: *genera sunt duo, alterum Druidum, alterum equitum*

Cic. Orat. 24, 80. *Ornatus autem verborum* ***duplex****: unus simplicium, alter collocatorum.* Off. I. 27, 96. *Est autem eius descriptio* ***duplex****. Nam et generale quoddam decorum intelligimus — et aliud huic subiectum* — Part. Orat. 22, 76. *Est igitur vis virtutis* ***duplex****: aut enim scientia cernitur aut actione.*

7. Addendi denique imperativi videntur, qui sunt **cognoscite**, **videte**, **attendite**, qui quidem apud Ciceronem saepissime inserviunt rei quodammodo inducendae, quae statim accuratius explicanda sit. Quae clausula quod eadem grammatica est primum, deinde nonnunquam ea, ut necessitate quadam adducta esse videatur, nihil haec conferunt ad eius rhetoricam, quam dixi, gravitatem aut obscurandam aut debilitandam.

a. Cic. p. Caelio 26, 63. *Sed quid ego de dignitate istorum testium loquor? Virtutem eorum diligentiamque* ***cognoscite****. In balneis delituerunt* — p. Flacco 23, 55. *Itaque civitatis pudentis et gravis iustum dolorem querelasque* ***cognoscite****.* — Philipp. II. 32. 80. *In quo primum incredibilem stupiditatem hominis* ***cognoscite****.* — ibd. 33, 84. *sed arrogantiam hominis insolentiamque* ***cognoscite****.* — ibd. 22, 55. *cuius tamen scelus in scelere* ***cognoscite****.* — Verr. II. I. 16, 43. *Quamobrem — legationem eius praeclaram* ***cognoscite****. Posteaquam Cn Dolabellae provincia Cilicia constituta est* — ibd. II. III. 33, 77. *Eandem istius, qui se regem Siculorum esse ducebat, licentiam libidinemque fuisse* ***cognoscite*** *Aeschrionis Syracusani uxor est Pippa* — ibd. II. I. 40, 104. *Qui principio qualis in edicto constituendo fuerit,* ***cognoscite****. P. Annius Asellus mortuus est C. Sacerdote praetore* — p. Cluent. 15, 45. *Itaque — qua ratione Avitum veneno tollere conatus sit,* ***cognoscite****. C. et L. Fabricii fratres gemini fuerant* — ibd. 23, 64. *Quare etsi —, tamen de illo ipso separatim* ***cognoscite****.* —

Peculiare quoddam genus exemplorum addimus: Cic. p. Flacco 19. 46. *Atque, ut eius impudentiam perspicere possitis, causam ipsam, quae levissimi hominis animum in Flaccum incitavit,* ***quaeso****,* ***cognoscite****. Fundum Cymaeum Romae mercatus est de pupillo.* — Verr. III. 20, 53. *genera ipsa iniuriarum,* ***quaeso****,* ***cognoscite****. Nympho est Centuripinus* — ibd. I. 6, 16. *Sed prius, ut ab initio res ab eo constituta sit,* ***quaeso****,* ***cognoscite****. Ut primum e provincia rediit* — p. Flacco 9, 20. *Quam vero facile falsas rationes inferre et in tabulas, quodcunque commodum est, referre soleant, ex Cn. Pompeii literis,* ***quaeso****,* ***cognoscite****. Literae Pompeii.* — Similiter verbis disiunctis: de leg. agr. II. 28. 75. *Ut vero totam Italiam suis praesidiis occupare cogitet,* ***quaeso****, Quirites,* ***cognoscite****. Permittit decemviris* —

*b.* Cic. Philipp. II. 12, 30. *Sed stuporem hominis vel dicam pecudis* ***attendite****. Sic enim dixit:* — p. Sulla 5, 14. *Et quoniam de criminibus superioris coniurationis Hortensium diligenter audistis, de hac coniuratione, quae me consule facta est, hoc primum* ***attendite****. Multa, cum essem consul,* — Verr. I. 9, 26. *qui quam isti sit amicus,* ***attendite****. Dedit enim* — ibd. II. I. 16. 43 — V. 17, 42. *Haec dum breviter expono, quaeso, ut fecistis adhuc, diligenter* ***attendite****. Rem navalem primum ita dico administratam.*

*c.* p. Sestio 12, 28. *Si dixisset hoc solum, omni supplicio esset dignus. Quid fecerit,* ***videte****. L. Lamiam in concione relegavit edixitque ut* — Philipp. XI. 9, 21. *Dicam, cur inutile reipublicae: sed prius quam turpe consulibus sit,* ***videte****.* —

*d.* Rarius hoc munus alii imperativi suscipiunt. Philipp. II. 12, 28. *At quemadmodum me coarguerit homo acutus,* ***recordamini****. Caesare interfecto, inquit, statim cruentum alte extollens M. Brutus pugionem, Ciceronem nominatim exclamavit.* —

Formulae, quae sunt ***sic collige***: Hor. Epist. II. 1, 119. ***sic habe:*** Plin. Epist. VII. 17, 8 ad clausulam ampliorem referendae sunt.

cium contineatur. Cic. Orat. 3, 10. *Has rerum formas appellat ἰδέας ille non intelligendi solum sed etiam dicendi gravissimus auctor et magister*, *Plato*. Tusc. V. 23, 64. *Non ego iam cum huius vita, qua taetrius, miserius, detestabilius excogitare nihil possum, Platonis aut Archytae vitam comparabo, doctorum hominum et plane sapientium: ex eadem urbe humilem homunculum a pulvere et radio excitabo, qui multis annis post fuit*, *Archimedem* Brut. 12, 47. *quo neminem unquam melius ullam oravisse capitis causam, cum se ipse defenderet, se audiente, locuples auctor scripsit*, *Thucydides*. cf. p. Rosc. Amer. 2, 6. — Osenbruegg. ad Milon. p. 71. in eiusmodi exemplis nomen proprium ad explendam modo sententiam adiunctum censet ita ut eius pondera in iis, quae antecedant, inesse existimanda sint. Equidem in alia omnia discedo. Quidquid enim gravitatis inest in partibus superioribus, nihil aliud ea spectari puto nisi ut suspensum teneat animum legentis. Qui cum addito demum nomine proprio acquiescat, si idem illud ultimam sententiae sedem habeat occupatam, nonnihil eo momenti contineri profecto apparet. —

De *clausula ampliore* alio loco.

# Das Kneiphöfische Stadt-Gymnasium

## im Schuljahre 18$^{56}$/57.

---

## I. Unterricht.

Der Unterricht ist im Wesentlichen in der bisherigen Weise ertheilt; die Veränderungen, welche durch die Ministerialverfügung vom 7. Januar v. J. nothwendig geworden sind, ergeben sich aus der beigefügten tabellarischen Uebersicht. In den beiden oberen Klassen und in der seit Ostern v. J. in eine obere und untere Abtheilung getheilte Tertia sind folgende Pensa absolvirt:

1. Deutsch. Secunda. Geschichte der deutschen Literatur vom Verfall des Ritterthums bis zur zweiten schlesischen Schule. In der Klasse gelesen und erklärt ist: Hermann und Dorothea von Göthe. — Prima. Geschichte der deutschen Literatur von 1770 bis zu Schiller's Tode. Erklärung des Tasso von Göthe. — Angewandte Logik. —

2. Latein. Tertia b. Caes. bell. Gall. III. u. IV. Ovid. Metam. I—III. (mit Auswahl). — Tertia a. Caes. bell. civ. II. u. III. Ovid. Metam. VIII—XIV. (nach Seidel's Auszug). — Secunda. Liv. VIII. u. IX. (bis zur Mitte). Cic. de senect. u. oratt. Catil. I—III. Virg. Aen. VII. u. VIII. Privatim: Corn. Nep. u. Livius. — Prima. Cic. Verr. II. I. u. Tuscul. I. u. II. Hor. Carm. I. u. II. Privatim: Liv. XXVIII—XXXII. incl. —

3. Griechisch. Tertia b. Jacobs Leseb. 2. Thl. C. b. u. c. und E. — Tertia a. Xenoph. anab. IV. Hom. Od. IX. u. XII. — Secunda. Her. I. 80. u. VI. Hom. Od. I—III. Il. XV. Privatim: Xen. anab. II. u. III. Hom. Od. XXIII. u. XXIV. — Prima. Plat. Eutyphro, Laches, Menex. Soph. Electra. Hom. Il. IX—XV. incl. (Privatim haben mehrere Primaner Homer, einige auch Plato's Apologie gelesen).

4. Französich. Tertia a. Leloup's Leseb. — Secunda. Ausgewählte Stücke aus dem Handbuche von Ideler und Nolte, Thl. 3. — Prima. Molière le bourgeois gentilhomme und Delavigne Louis XI.

5. Hebräisch. Secunda. Gesenius bis §. 55. Schriftliche Uebungen. Genesis 37—43. — Prima. Gesenius §. 55—96. I. B. Samuelis und einige Psalmen. Schriftliche Uebungen.

6. Englisch. Secunda. Anfangsgründe nach Jeep's Lehrbuch. Dickens A. Child's History of England. — Prima. Scott Tales of a Grandfather etc. —

7. Religion. Tertia a. und b. Das 4te und 5te Hauptstück; Kirchenlieder; das Evangelium Matthäi und einige Parabeln aus dem Evangelium Lucae. — Secunda. Geschichte der christlichen Kirche bis zur Reformation. — Prima. Die christliche Sittenlehre; Wiederholungen aus der Glaubenslehre; das Evangelium Johannis (im Urtext).

Religionsunterricht der Schüler katholischer Konfession (bei Herrn Probst Dr. Wunder). 1ster Coetus. Katechismus nach Ontrup. Vom Busssakrament bis zu Ende. Biblische Geschichte des A. T. nach Kabath bis zur Trennung des Reiches. 2ter Coetus. Religionslehre nach Eichhorn. Glaubenslehre. Natürliche und übernatürliche Religion. Sittenlehre. Pflichten gegen uns selbst bis zu Ende. Geschichte der christlichen Kirche nach Siemens: 1ste Periode bis zu den Irrlehren und Spaltungen der 2ten Periode.

8. Mathematik. Tertia b. Wiederholung der Lehre von der Kongruenz der Dreiecke und von den Parallelen; dann die Geometrie bis zum Pythagoreischen Lehrsatz incl. — Buchstabenrechnung; Rechnung mit entgegengesetzten Grössen; Gleichungen des 1sten Grades. — Tertia a. Grunert; Geometrie c. 11—15.; Buchstabenrechnung; Potenzen; Quadrat- und Kubikwurzel; arithmetische und geometrische Proportion. — Secunda. Wiederholung der Lehre von den Potenzen; Logarithmen; Gleichungen des 1sten und 2ten Grades; Trigonometrie nebst dem Gebrauch der Tafeln. — Prima. Stereometrie; Anwendung der Gleichungen auf den Kreis und die gerade Linie; Kettenbrüche; Entwickelung der trigonometrischen Funktionen in Reihen.

9. Geschichte. Tertia b. Wiederholung und Beendigung der griechischen Geschichte; römische Geschichte; Geographie des alten Griechenlands, Italiens, Kl. Asiens. — Tertia a., wie in Tertia b., da die deutsche und vaterländische Geschichte bereits im vorigen Jahre in den damals koordinirten Abtheilungen der Tertia absolvirt war. — Secunda. Geschichte des Mittelalters. — Prima. Der zweite Theil der neueren Geschichte.

10. Geographie. Tertia b. Mittel-Europa (nach von Seydlitz Lehrbuch). — Tertia a. Süd- und West-Europa. — Secunda. Wiederholungen aus der Geographie Europa's; Asien. — Prima. Die übrigen aussereuropäischen Erdtheile.

11. Naturkunde. Tertia b. Die Wirbelthiere. — Tertia a. Botanik. Die niedern Thiere, namentlich Insecten. — Secunda. Thermik; von den tropfbar und ausdehnsamen flüssigen Körpern. — Prima. Optik und Mechanik. —

## Tabellarische Uebersicht über die Vertheilung der Lektionen unter die Lehrer.

| Namen der Lehrer. | I. | II. | III. a. | III. b. | IV. | V. | VI. | Summa der wöchentl. Stunden. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1. Dr. **Skrzeczka**, Director. | 6 Griech. | 2 Religion | 2 Ovid. | | | | 3 Religion | 13 |
| 2. Prof. Dr. **Koenig**, Prorektor u. 1ster Oberlehrer. Ordinarius von I. | 4 Mathem.<br>2 Physik. | 4 Mathem.<br>1 Physik<br>2 Franz. | 3 Mathem.<br>2 Franz. | | | | | 18 |
| 3. **Witt**, 2ter Oberlehrer. Ordinarius von II. | 3 Gesch. u. Geograph | 3 Gesch. u. Geograph. | 2 Deutsch. | 3 Gesch.,<br>1 Geograph.<br>2 Deutsch | 3 Gesch. u. Geograph. | 2 Geograph. | 2 Geograph. | 21 |
| 4. Dr. **Schwidop**, 3ter Oberlehrer. Ordinarius von III. b. | | 6 Griech. | | 8 Latein | 6 Griech. | | | 20 |
| 5. Prof. Dr. **Wichert**, 4ter Oberlehrer. Ordinarius von III a. | 8 Latein | | 6 Griech.<br>3 Gesch.<br>1 Geograph. | | | | | 18 |
| 6. Dr **Lentz**, Oberlehrer. | | 8 Latein | 8 Latein,<br>1 Naturbe-schreibung | 1 Naturbe-schreibung | | 2 Naturbe-schreibung. | 2 Naturbe-schreibung. | 22 |
| 7. **Cholevius**, Oberlehrer. Ordinarius von VI. | 3 Deutsch | 2 Deutsch<br>2 Virgil | | 2 Ovid. | | | 10 Latein<br>2 Deutsch | 21 |
| 8. **Weyl**, 7ter ord. Lehrer. Ordinarius von IV. | 2 Franz. | | | 2 Franz. | 10 Latein<br>2 Deutsch<br>2 Franz. | 3 Franz. | | 21 |
| 9. Dr. **Knobbe**, 8ter ord. Lehrer. Ordinarius von V. | 2 Religion<br>2 Hebr. | 2 Hebr. | 2 Religion | | 2 Religion<br>3 Mathem. | 3 Religion<br>3 Rechnen | 4 Rechnen | 26 |
| 10. v. **Drygalski**, Schulamts Candidat. | | | | 6 Griech. | | 10 Latein<br>2 Deutsch | | 18 |
| 11. Dr. **Seemann**, | 2 *) Engl. | 2*) Engl. | | | | | | 4 |
| 12. **Glum**, Zeichen- und Schreiblehrer. | | | 2 Zeichnen | | 2 Zeichnen | 2 Zeichnen<br>3 Schreiben | 2 Zeichnen<br>3 Schreiben | 14 |
| 13. **Pabst**, Musikdirektor. | 1 Singen | | 1 Singen | | 1 Singen | 1 Singen | 2 Singen | 6 |
| | | | | | | | | 222 |

*) Für Schüler, die nicht Hebräisch lernen: Theilnahme freiwillig.

## II. Verordnungen.

### a. Von dem Königl. Provinzial-Schul-Collegio.

1. Vom 19. April 1856. Die Schüler sollen zu einer regelmässigen Theilnahme am Gesangunterricht angehalten werden.

2. Vom 10. Mai. Durch methodisches Vocabellernen sollen die Schüler in den Besitz einer grössern copia vocabulorum gesetzt werden.

3. Vom 30. Mai. Der Herr Minister der geistl., U. u. M.-A. wird dafür Sorge tragen, dass auf den Universitäten religiös-wissenschaftliche Vorträge für Nicht-Theologen gehalten werden; auf diese sollen die künftigen Pädagogen besonders aufmerksam gemacht und auf die Folgen hingewiesen werden, die es für sie haben muss, wenn sie in der Prüfung pro facultate docendi ungenügende Religions-Kenntnisse zeigen sollten.

4. Vom 19. August. Programme, in denen die wissenschaftliche Abhandlung sich auf die deutsche oder preussische Geschichte bezieht, sind an das Directorium der Königlichen Staats-Archive einzuschicken.

5. Vom 27. Februar 1857. Die Verfügung vom 7. April 1853, nach welcher gemäss höherer Bestimmung die Ferien so gelegt werden sollen, dass die Schüler nicht an Sonn- oder Fesstagen reisen dürfen, wird in Erinnerung gebracht; die Ferien sollen dabei nicht verlängert werden und sind demnach so zu legen, dass der Unterricht in den mittleren Tagen der Woche beendigt und wieder begonnen wird.

### b. Vom Magistrat.

Vom 14. Juni 1856. Die Schüler jüdischer Religion, welche nicht am Religionsunterricht der Schule Theil nehmen, sollen namhaft gemacht werden, damit die Eltern derselben angehalten werden können, ihnen, wie es im Gesetze vom 28. Juli 1847 §. 62 bestimmt ist, einen geeigneten Unterricht in der Religion ertheilen zu lassen.

---

## III. Chronik der Anstalt.

Das erste Semester des Schuljahres 18⁵⁶/₅₇ währte vom 1. April bis zum 1. Oct. v. J. Das Winterhalbjahr begann am 9. Oct. v. J. und wird mit der öffentlichen Prüfung am 6. und 7. April d. J. schliessen.

Das Geburtsfest Sr. Majestät des Königs feierte das Gymnasium in gewohnter Weise am 15. Oct. — Die Festrede hielt der Oberlehrer Dr. Schwidop.

Am 8. Febr. d. J. beehrte der Königl. Provinzial-Schulrath Herr Dr. Schrader das Gymnasium mit seinem Besuche und unterwarf dasselbe einer eingehenden Revision, indem er vier Tage hindurch unausgesetzt dem Unterrichte beiwohnte und sich auch die Arbeitshefte der Schüler vorlegen liess.

Der regelmässige Gang des Unterrichts hat in der ersten Hälfte des Schuljahres eine nicht unerhebliche Störung erlitten. Gleich nach dem Beginn der Schule (am 3. April) erkrankte Oberlehrer Witt und musste den Unterricht bis zum 21. April ganz aussetzen; darauf versuchte er es zwar, seine Geschäfte wieder zu übernehmen, sah sich aber schon nach einigen Tagen genöthigt, einen längeren Urlaub nachzusuchen, der ihm auch bis zu dem Ende der Sommerferien gewährt wurde. In der Mehrzahl der Stunden wurde er von seinen Kollegen vertreten, einen Theil derselben übernahmen die Schulamts-Kandidaten Dr. Diestel und v. Drygalski. Ausser ihm wurden noch zwei andere Lehrer im Laufe des Jahres durch Krankheit ihrer amtlichen Thätigkeit entzogen, doch glücklicher Weise nur auf kurze Zeit.

Auch in diesem Jahre habe ich die schmerzliche Pflicht, von dem Tode eines unserer Schüler zu berichten. Am Sonnabende den 14. März d. J. starb nämlich der Primaner Oskar Vogdt aus Glocken bei Saalfeld in seinem 20sten Lebensjahre. Am 7. März hatte er die letzte schriftliche Abiturientenarbeit glücklich beendigt; während derselben war er von einem leichten Unwohlsein befallen, ohne dadurch an der Fortsetzung der Arbeit gehindert zu werden. Wer konnte ahnen, dass dieses der Anfang einer Krankheit sein würde, welche dem Leben des blühenden Jünglings in wenigen Tagen ein Ende machte! Die Morgenandacht am 16. März war der wehmüthigen Erinnerung an den Dahingeschiedenen geweiht; die letzte Freundespflicht konnten wir ihm nicht erweisen, da die Leiche in der Heimath eine Ruhestätte finden sollte. Durch den Ernst seines Strebens, wie durch die Lauterkeit seines Herzens hat er sich bei seinen Lehrern und Mitschülern ein liebevolles Andenken gesichert.

Mit dem Schluss des vorigen Schuljahres beendigten die Schulamts-Kandidaten Herr Brandt und Dr. Diestel ihre erfolgreiche Thätigkeit an unserer Schule. Der erstere unterrichtete zwar noch nach Ostern die jüngeren Secundaner in der Mathematik, schied aber schon nach wenigen Wochen von uns, um den mathematischen Lehrer an der höheren Bürgerschule in Wehlau zu vertreten; später ist er an jener Schule definitiv angestellt worden. Dass Herr Dr. Diestel uns während der Krankheit eines Lehrers auch in diesem Jahre bereitwillig seine Hilfe gewährt hat, ist bereits erwähnt. Ich kann es mir nicht versagen, beiden Herren für den Eifer, mit welchem sie ihre Kräfte unserer Schule gewidmet haben, auch öffentlich meinen besten Dank auszusprechen.

Die Stelle eines wissenschaftlichen Hilfslehrers ist um Ostern v. J. dem Schulamts-Kandidaten Herrn v. Drygalski übertragen worden.

Das Gehalt des G. L. Weyl ist von dem verehrten Patron der Anstalt durch Verfügung vom 22. August v. J. um 50 Thlr. erhöht.

Se. Excellenz der Herr Minister der geistl., U.- u. M.-A. hat zwei Lehrern eine Gratifikation gewährt und durch Rescript vom 3. November v. J. den Oberlehrer Dr. Wichert zum Professor ernannt.

---

## IV. Statistische Nachrichten.

### a. Lehrapparat.

Aus den etatsmässigen Mitteln sind für die Bibliothek angeschafft: Th. Mommsen Römische Geschichte, v. Rönne das Unterrichtswesen des Preuss. Staates, Duncker Gechichte des Alterthums, 3. Thl., Böhringer die Kirche Christi und ihre Zeugen, Zinkeisen Geschichte des Osmanischen Reiches, Th. 4, Maassmann Index zum Alt-hochdeutchen Sprachschatz von Graff,

Ulfilas von Maassmann, Müller-Pouillet Physik, 3. Thl., Rhetores graeci ed. Spengel Vol. III., Euripides ed. Kirchhoff Vol. II., A. Nauck fragmenta tragicorum graecorum, Stephani thes. Gr. L. Vol. I. fasc. 6 und Vol. VIII. fasc. 4, Rossbach u. Westphal griech. u. röm. Metrik, 3 Thle., Brandis Handbuch der griech.-röm. Philosophie, 2. Thl., 2. Abth. 2 Hälfte, Becker römische Alterthümer, 4. Thl.

An Geschenken, für welche der Unterzeichnete im Namen der Anstalt den ergebensten Dank sagt:

Vom Königl. Ministerio der geistlichen, Unterrichts- und Medizinal-Angelegenheiten: Allerhöchst eigenhändige Instruktion weiland Sr. Majestät Königs Friedrichs II. für den Staats- und Kabinets-Minister Grafen Finck von Finckenstein vom 10. Januar 1757 Facsimile nach dem im K. Geh. Staats-Archiv zu Berlin aufbewahrten Original. Kayser Griech. Wörter in Wortfamilien zur Förderung des Auswendiglernens; Strack Uebersetzung der Naturgeschichte des Plinius.

Von den Herren Verfassern: Cholevius Geschichte der deutschen Poesie, 2. Thl., Wichert die lat. Stillehre.

Von dem Abiturienten Adolph Giesebrecht aus der Bibliothek seines verstorbenen Vaters: Johannes von Müller vierundzwanzig Bücher allgemeine Geschichte, Jacob Grimm Geschichte der deutschen Sprache.

Auch die Schülerbibliothek und die Kartensammlung sind angemessen vermehrt worden.

Für das physikalische Kabinet sind angeschafft worden: ein Faradayscher Rotationsapparat und ein Centrifugalapparat.

## b. Wohlthätigkeits-Fonds.

Die Klassen Quinta, Quarta, Tertia und Secunda besitzen zur Unterstützung ärmerer Schüler kleine Kassen, welche durch Beiträge einzelner Schüler gebildet sind. Der Stand dieser Kassen ist folgender:

| | Bestand um Ostern 1856. | Zugang. | Ausgabe. | Bestand zu Ostern 1857. |
|---|---|---|---|---|
| Quinta: | 18 rtl. 6 sgr. | 11 rtl. 25 sgr. | 6 rtl. 1 sgr. | 24 rtl. |
| Quarta: | 44 „ — „ | 13 „ 23 „ 7 pf. | 8 „ — „ | 49 „ 23 sgr. 7 |
| Tertia b.: | 4 „ 11 „ 6 pf. | 9 „ 3 „ 6 „ | — „ — „ | 13 „ 15 „ — |
| Tertia b.: | 10 „ 22 „ — „ | 8 „ 20 „ 6 „ | 5 „ 18 „ 6 pf. | 13 „ 24 „ — |
| Secunda: | 47 „ 18 „ . 6 „ | 22 „ 18 „ 2 „ | 22 „ — „ 6 pf. | 4 „ 28 „ 2 |

## c. Schüler.

Am Schlusse des vorigen Schuljahres zählte das Gymnasium 312 Schüler. Nachdem 15 zur Universität, 17 anderweitig abgegangen, dagegen 27 aufgenommen waren, begann das Sommersemester mit 307 Schülern. Am Schlusse des Semesters betrug die Schülerzahl 301, da 10 abgegangen, 4 hinzugekommen waren. Das Wintersemester $18^{56}/_{57}$ begann mit 311 Schülern, indem 2 zur Universität, 15 anderweitig abgegangen waren. Im Laufe des Semesters sind 13 abgegangen, 7 aufgenommen, so dass am Schlusse des Jahres 305 Schüler das Gymnasium besuchen und zwar in I. 30, II. 56, III. a. 35, III. b. 36, IV. 55, V. 52, VI. 41.

In diesem Schuljahre haben zwei Abiturientenprüfungen unter dem Vorsitz des Königl. Provinzial-Schulraths Herrn Dr. Schrader stattgefunden. Bei der ersten, am 13. Septbr. v. J., haben sich zwei Schüler (Nr. 284 und 285), bei der zweiten, am 30. März d. J., 8 Primaner Nr. 286—293) das Zeugniss der Reife erworben.

## Verzeichniss der Primaner, welche bei den beiden oben angeführten Abiturienten-Prüfungen das Zeugniss der Reife erhalten haben.

| No. | N a m e. | Geburtsort. | Stand und Wohnort des Vaters. | Lebens-alter. Jahr. | Aufenthalt i. d. Anstalt überhaupt Jahr. | Aufenthalt in Prima Jahr. | Gewähltes Fakultäts-Studium. | Universität, welche sie besuchen zu wollen erklärt haben. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 284 | Hermann Julius Döpner. | Graudenz | Zahlmeister im 1. Art.-Regt. in Königsberg. | 20 | $5^{1}/_{2}$ | 2 | Er gedenkt Militär zu werden. | |
| 285 | Carl Friedr. Wilh. Alex. Seydler | Königsberg | Rechnungsrath in Königsberg | 19 | 11 | $2^{1}/_{2}$ | Medicin | die hiesige Universität. |
| 286 | Carl Ludwig Boruttau | Hasenberg bei Tapiau | Gutsbesitzer auf Angerburg bei Angerburg | $19^{1}/_{2}$ | $5^{1}/_{2}$ | 2 | Desgl. | die hiesige Universität. |
| 287 | Eduard Constantin Ebel | Stargardt in Westpreussen | Arzt (todt) | $17^{3}/_{4}$ | 4 | 2 | Die Rechte | die hiesige Universität. |
| 288 | Richard Botho Wendt Graf zu Eulenburg | Prassen, Kreis Rastenburg | Gutsbesitzer (todt) | $19^{1}/_{4}$ | 7 | 2 | Naturwissenschaften | die hiesige Universität. |
| 289 | Victor Jarke | Königsberg | Tribunalsrath in Königsberg | 19 | 9 | 2 | Theologie | die hiesige Universität. |
| 290 | Heinrich Kunckel | Gr. Maraunen bei Wartenburg | Gutsbesitzer auf Gr. Maraunen | $20^{1}/_{4}$ | $4^{1}/_{2}$ | $2^{1}/_{2}$ | Die Rechte | die hiesige Universität. |
| 291 | Hugo Mac-Lean | Memel | Banko-Direktor in Königsberg | 19 | 9 | 2 | Desgl. | die hiesige Universität. |
| 292 | Franz Louis Quedenfeldt | Carmitten bei Königsberg | Gutsbesitzer auf Carmitten. | $19^{1}/_{2}$ | 10 | 2 | Er will Landwirth werden | die hiesige Universität. |
| 293 | Hermann Talke | Borken bei Bartenstein | Gutsbesitzer auf Pohlenzhof, Kreis Friedland | $19^{1}/_{4}$ | $7^{1}/_{2}$ | 2 | Theologie | Desgl. |

**Skrzeczka.**